FRANCISCI VICOMERCATI ... IN EAM PARTEM DUODECIMI LIBRI METAPHYS...

Francesco Vimercati, Aristoteles

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 N
11/17

Digitized by Google

14. 3. N. 11

FRANCISCI VICOMERCATI MEDIOLANENSIS PHILOSOPHI REGII

In eam partem duodecimi libri metaphyſ. Ariſtotelis, in qua de Deo & cæteris mentibus diuinis diſſeritur, Commentarii, vnà cum eiuſdem partis è Græco in Latinum conuerſione.

AD

CAROLVM BORBONIVM CARDINALEM VINDOCINENSEM.





PARISIIS,

Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, ad Veritatis inſigne.

1551.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Capuccinorum + Romæ.

ILLVSTRISSIMO, OPTImóque Principi Carolo Borbonio Cardinali Vindocinenſi Franciſcus Vicomercatus S.

QVVM multarum rerum cognitio illuſtriſsime Princeps, Cardinaliſq; ampliſsime homini præclara, eadémque vtilis eſt, tū præclariſsima & vtiliſsima ſui cuiuſque & Dei optimi maximi. Illam pro foribus templi Delphici, vt Plato author eſt, inſcripta, & ab Apolline, vt Socrates arbitratur, profecta verba γνῶθι σεαυτὸν, præceperunt. Eandem, & quæ Dei optimi maximi eſt, cuius etiam quædam in animis omniū naturâ inſita notio videtur, vt rem ſummè neceſſariam, præſtantémque & omnibus expetendam philoſophia omnis, tum humana, tum diuina. Ac, vt cognitionis vtriuſque admiranda pręſtantia, ſummáque vtilitas vno ferè verbo cōprehendatur, illa, ne infœlix quiſque & miſer ſit, efficit, hæc longè diuinior & admirabilior, non ſolùm ab infœlicitate, & miſeria hominē liberat, ſed eundem fœlicem, beatúmque etiam reddit. Quid enim homine ſeipſum ignorante infœlicius, quid eo, qui Deum nouit, beatius eſſe poſsit, non facilè eſt excogitare. Quapropter ad vtranque hāc cognitionem, veluti ad ſummum bonum, cæterorum bonorū omnium fontem, cunctorúmque malorum declinationem, ante omnia nanciſcendam toto animo cuique incumbēdum, ſpiritúſque om-

nes & neruos intendendos eſſe, qui non putat, is mihi in Cimmeriis (vt aiunt) tenebris videtur verſari, & in luce ſplendidiſsima cęcutire. Cùm verò fœlicem, quàm non infœlicẽ eſſe, longè præclarius diuiniúſque & iucundius ſit, ad id vnum imprimis, vt Deum noſcãt, aſpirare omnes debent, cùm præſertim ad ſui cuiuſque cognitionem, maximũ Dei cognitio atque incredibile afferat momentũ. Nam ſeu animũ noſtrum dũtaxat (vt multi rati ſunt) ſeu omnino nos ipſos (quicquid ſumus) agnoſcendos nobis, cùm noſcere ſe quẽque oraculum præcepit, intellexerit, ea omnis profectò cognitio ex Dei cognitione non minima ex parte videtur proficiſci: quippe cùm animus noſter diuinũ ſit quiddã, & veluti Dei particula ab illius mẽte decerpta, nóſque id omne, quod ſumus, quemadmodum cælum & natura vniuerſa, ab illo pẽdeamꝰ, ac, vt de Theologiæ noſtræ arcanis aliquid adiiciatur, cùm omnes ex Adę peccato periiſſemus, eius ſola incredibili bonitate, ſummáque liberalitate reuixerimus. Quoniam autem Dei cognitio, præter eam, quam quiſque ex pulcherrima hac, quã ſpectamus, mundi fabrica, ordinéque rerum, quæ eo cõtinenter, admirando, niſi omnino ſtipes ſit, aut caudex, nanciſcitur, bifariam accipi poteſt, cùm ex philoſophorum libris, tum verò ex ſacris literis, poſterior hæc omnibus numeris abſoluta eſt. Altera, quam philoſophi, Ariſtoteles potiſsimũ & Plato tradiderunt, in multis quidem manca, ſed tamen quæ negligi

non debeat,imò verò plurimi fieri,quando tenden tibus ad eam, quæ perfecta eſt, Dei cognitionem, ſplendidiſſimũ lumen adfert,doctorúmque hominum ingenia excellentia, quæ niſi ratione cogi ſolent, in multis religionis placitis confirmat. Nec verò ij laudandi ſunt, qui, cùm Dei cognitionem ab hiſce philoſophis non abſolutè traditam intelligant, aut in his, quæ ab illis de Deo conſcripta ſunt,nonnulla, & pauca illa quidem,cum religionis pietate non planè conſentientia,ab illorum libris, in quibus hæc traduntur, vt à certa animorũ peſte abhorrẽt. Quod hominum genus Gregorius Naziãzenus acriter reprehendit,σκαιοὺς καὶ ἀπαιδεύτους, hoc eſt,rudes & imperitos vocãs,illi magis probãdi,magnáque digni cõmendatione, qui iis,qui religioni videntur aduerſari,prudenter,firmóque,& ſtabili iudicio repudiatis, cætera ſapienter approbant,& cùm philoſophorum placita cum ſanctis literis aptè & congruenter coniungunt, maximum decus, firmúmque robur religioni afferunt. Quod apud Græcos à Baſilio magno & à duobus Gregoriis,vno Nyſſeno,altero Naziãzeno,apud Latinos à Thoma(quanquã ſanctus ille ac pius vir,aliíque multi, qui eum ſunt imitati,pietate(vt puto) & religionis cõfirmandæ ſtudio ducti,in philoſophia, rationibúſque humanis cum diuinis literis cõiungendis limites fortaſſe exceſsiſſe videãtur) ſapiẽter eſt factitatũ. Quorum prudentiſsimũ, ſapientiſsimúmque iudiciũ omnibus,qui in ſacris literis ver-

ſarētur,ſemper putaui amplectendū eſſe,in animóque nunquā non habui, ea, quæ hi philoſophi de Deo diſſeruiſſent,cū ſtrictim & obſcurè tradita inuenirētur,quo facilius ad eorū intelligentiā aſpirare omnes poſſent, cōmentariis illuſtrare. Cùm verò rebus naturę explanādis me totū tradidiſſem,id, vt ordine progrederer,poſt illarū explanationē faciendum mihi eſſe conſtitueram. Sed tu princeps Cardinaliſque illuſtriſ.vt ordinē conſtitutū inuerterem in cauſa fuiſti. Cùm enim animū meum tui obſeruantiſſimum haberem, tibíque addictiſsimū me eſſe intelligerē,eámque meam, quâ te colerem, ſummā obſeruantiā,tibi omnibúſque aliis ſignificare,& tuis erga me meritis aliqua ex parte ſatisfacere cuperē, re alia nulla cōmodius fieri hæc poſſe exiſtimaui,quàm ſi tibi,quē ſacris literis,vt dignitatis tuę altiſsimus,in quo poſitus es,gradus poſtulat, operā nauare noueram, cōmentarios eiuſmodi conſcriberem,tuóque nomine in lucem proferrem. Cur autē tui obſeruantiſsimus,tibíque deuinctiſsimus nō eſſem,qui cū ſumma nobilitate(nulla nāque ſi antiquitatē, ſimul & virtutē,geſta p̄clara, regni maximi perpetuā,antiquiſsimámque ſucceſſionē ſpectes,hac,qua flores, in orbe terrarū maior nunc cernitur)cū maximo itē in eccleſia Dei dignitatis gradu innumeras virtutes cōiūxeris,incredibilem erga omnes,etiā humiles & abiectos quoſque humanitatē, benignitatem,probitatē, liberalitatē, ęquitatē,eruditionē,in literatos viros fouēdos pro-

mouẽdóſque animũ propenſum, aliáſque eximias tuas virtutes,quæ tuorũ etiam propinquorũ,Ludo uici Borbonij(vt Henricũ regem,principẽ optimũ nunc mittã) Cardinalis ampliſsimi auunculi tui, Antonij Borbonij ducis Vindocinẽſis, Ioãnis Anguiani comitis,& Ludouici fratrũ tuorum,Margaritæ itẽ Niuernenſiũ ducis, ſororis tecum cõmunes ſunt: vt harũ virtutum ingẽs cumulus generis tui quaſi hęreditarius videatur.Sed hæc mihi cũ alíis,qui te obſeruãt & colunt,cõmunia ſunt.Illa verò propria,quòd & amplæ liberalíq; penſioni,quã Henricus rex per te mihi ſolui voluit,nõ minus lubens ac liberaliter aſſenſus fuiſti,q̃ ſi tua ipſius liberalitate ad eam mihi ſoluendã adductus fuiſſes, & quòd maxima,cùm primũ te ſalutaui,ac deinceps ſemper me amplexus es humanitate,nõ ſolùm penſionis ſolutionẽ,ſed omne officiũ,omnẽmq; operã tuã, ſi qua in re opus eſſet, liberaliſsimè pollicitus. Quæ omnia cũ eo maiora, quo à maiori principe profecta ſunt, æſtimauerim,me tui nominis obſeruantiſsimũ,tibíq; longè deuinctiſsimũ reddiderũt, vt cùm,libris Ariſtotelis de Naturali auſcultatione explanatis iã,& in lucẽ editis,alios eius,qui de reb⁹ naturalibus ſequũtur,interpretari perſequerer, ordine ſcriptionũ editionũmq; mearũ inuerſo,laborẽ in cõmentariis,quos dixi,conſcribendis iure ſuſcipiendũ mihi eſſe intellexerim. Ab Ariſtotele autẽ exorſus ſum, qui & præclariori methodo, & ſcitè magis(vt mihi quidem videtur) q̃ Plato(quanquã

fortaſſe ille nõnulla magis piè) de Dei natura, eſſentia, actione, vita beata diſſeruit, inanium fabularũ, quibus res diuinas alij inuoluerãt, cõmẽtis prætermiſsis, ſimúlq; aliis diuinis mentibus, quæ vnà cũ Deo ſummâ fruũtur fœlicitate, pertractatis, vt nõ δαιμόνιου ſolùm, quẽadmodum veteribus ad mundũ corporeũ, quẽ dęmones colunt, ab illo omni ex parte explicatũ reſpiciẽtibus, placuit, ſed etiã θεῖος, quo nomine Platonẽ, quòd in rebus diuinis maximè verſaretur, vocabant, nuncupari dignus videatur. Itaque eam duodecimi libri Methaphyſicorũ, qui Græcis eſt vndecimus, partẽ, in qua de Deo Ariſtoteles diſſerit, è Gręco in Latinũ conuerti, & cõmentariis, quoad fieri potuit, illuſtraui, Platonis de Deo placita, ſi hi tibi probabũtur, in poſterũ explanaturus. Hoſce igitur labores meos, quãtulicunq; ſunt, princeps humaniſsime accipies, quos in tuarũ virtutum honorẽ, & ob tua erga me merita à me ſuſceptos eſſe, tibíq; in ſummæ erga te obſeruãtiæ meæ ſignũ donatos cæteri omnes intelligent. Qui ſi in eiuſmodi tractatione & explanatione pręter cæteros, qui eãdem rem aggreſsi ſunt (inter quos Marcus Antonius Flaminius vir ſingulari tũ probitate, tum literarũ humanarũ diuinarúmque eruditione maximo huius ſeculi luctu & mœrore nõ ita pridem vita functus, paraphraſi elegantiſsima ante multos annos edita, maximè excelluit) præſtitiſſe, me aliquid agnoſcent, ij tibi cumulatè, quicquid illud erit, debebunt. Vale.

FRANCISCI VICOMERCATI PHILOSOPHI REGII IN EAM partem duodecimi libri Metaphyſicorum Ariſtotelis, in qua de Deo, diuiniſque omnibus mentibus diſſeritur, Commentarij, vnà cum eiuſdem partis è Græco in Latinum conuerſione.

LIbrorum Ariſtotelis, qui μετὰ τὰ φυσικὰ, hoc eſt, poſt naturalia, inſcribuntur, duodecimus, ſeu, vt Græci ordinant, vndecimus, totius Philoſophiæ, tum naturalis, tum diuinæ terminus eſt, & quoddam veluti faſtigium, quod inchoato de Philoſophia operi ille impoſuit: tanto quidem reliquis, quos de ea conſcripſit, libris omnibus & ad intelligendum minus apertus, & dignitate præſtantior, quanto res diuinæ ab oculis, ac cōmuni hominum intelligentia remotæ his, quæ ſenſui palàm obuerſantur, ſcitu difficiliores, eædémque digniores eſſe intelligũtur. Nam cùm Philoſophia, quæ in contemplando poſita eſt, omnia quæ ſunt, peruadat, & à materia prima omnium rerum veluti genitrice contemplationis ſuæ exordium faciens, per omnia rerũ ipſarum genera, & ordines progrediatur, ad altiſsimas cæli regiones tandem ſublata, in ſupremo omnium parēte & moderatore Deo, aliíſque diuinis mentibus conquieſcit, ac pulcherrimæ ſuæ tractationis finem facit. Hanc poſtremam Philoſophiæ partem in hoc libro Ariſtoteles pertractauit, & illam quidem diligenter & accuratè, maximáque methodo & ordine, vt nihil, quod ab homine de diuinis rebus doctè & ſcienter dici potuerit, prætermiſſum, nihil præterea maiori me-

thodo,atque ordine ab aliquo pertractatum videatur. Cùm enim quinque ſumma ſint capita, quibus tota de natura deorum ſeu mentium diuinarum diſputatio continetur, ſíntne mentes diuinæ, nécne, quæ, & quales ſint, quot ſint, quid agant, & an mundum adminiſtrẽt, omnia hæc eo planè, quo nunc commemorata ſunt ordine, hoc in libro explicantur, demonſtrationibus, hoc eſt, neceſſariis rationibus, non popularibus, aut quæ ex hominum duntaxat opinione ducantur, adhibitis. Nec verò ſolam mentium diuinarum tractationem liber hic complectitur, ſed etiam ſubſtantiæ, quæ oriri & interire apta eſt, principia & cauſas in ſuperioribus libris fuſius explicatas in priore ſui parte breuiter repetit. Quamobrem longè vtilis liber eiuſmodi eſſe cenſendus eſt, cùm ob eam, quæ nunc dicta eſt, repetitionem: quippe cùm & ad tractationis totius intelligentiã, & ad memoriæ conſeruationem, in diſputationibus præſertim difficilibus, latéque patentibus (qualis eſt illa de rerum principiis) plurimùm prodeſſe repetitiones ſoleant, vt etiam ſi eadem decies repetantur, non inutiliter ea repeti experiamur: tum verò maximè ob quæſtionis de natura Dei explicationem, quæ & ad agnitionem animi pulcherrima eſt, & ad moderandam religionem neceſſaria. Quid enim pulchrius, præclariúſque eſſe poteſt, quàm Dei cognitione animũ noſtrum ornatum eſſe? ex qua etiã, cùm diuinũ ſit quiddam, & veluti Dei particula, ad ſui ipſius cognitionem perducitur. Religio autem vel omnino contempta iaceret, vel in ſuperſtitionem euaderet, niſi Deum eſſe, quæue eius ſit natura, quídque agat, cognitum, perſpectúmque haberemus. Hanc itaque Dei, mentiúmque omnium dininarum cognitionẽ liber hic exhibet, non quidem omnem eam, quam fide nos credimus, ſed quæ naturæ lumine à philoſopho excellentiſsimo tradi potuit. Nonnulla quidem de Deo in octauo auſcultationis naturalis ſunt tradita, ſed ea ſolùm ratione, qua huius vniuerſi mouens primus eſt: quæ omnia hoc in libro breuibus repetuntur. Multa alia de eodem, & illa quidẽ pulcherrima, & cum pietate conſentientia, in libello de Mundo ad Alexandrum,

leguntur,ſed eius generis,quæ hiſtoricum potius, & ſimplicem narratorẽ, quam diligẽtem naturæ & diuinorum interpretem referant, quando ſolùm recenſentur, nullis autem probationibus, quod philoſophum decet, monſtrantur: cuiuſmodi etiã ea ſunt, quæ à Platone de Deo, diuiníſque mentibus prodita legimus. Liber præterea ille Ariſtotelis non eſſe à multis exiſtimatur, tum ob eam, quam nunc retulimus, cauſam: tum verò in primis,quòd & quædam in ſe contineat ab illius placitis diſsidentia, & ſtylo plano atque fuſo cõſcriptus ſit, vt alium potius quemuis, quàm Ariſtotelem, qui conciſa breuitate perpetuò vſus eſt, authorem indicet. De hoc duodecimo nihil tale dici poteſt, quòd ſtrictim & breuiter, atque ideo perobſcurè, quod Ariſtotelis librorum proprium eſt, in eo omnia tradantur, eadémque firmiſsimis rationibus confirmentur: nihil præterea, quod cum Ariſtotelis pugnet doctrina, in eodem habeatur. Sed dubitatio exiſtit, cur quæſtionem de Deo, aliiſque diuinis mentibus in operis Metaphyſici fine ille tractauerit, vixque minimam illius operis partem in eiuſmodi tractatione cõſumpſerit, cùm tamen id opus, ſcientia diuina ſeu theologia nuncupari ſolitũ ſit, in qua nihil præter res diuinas pertractari debuiſſe videatur. Quæſtio hæc ſcitu digna eſt, & ad vindicãdum Ariſtotelem à nonnullorũ calumniis ſummè neceſſaria. Ea verò facilè diſſoluetur, ſi Metaphyſicæ ſcientiæ ſcopum omnem de mentibus diuinis haudquaquam eſſe intelligamus: verùm de rerum omnium principiis & cauſis, déque rebus ipſis omnibus, quatenus ſunt, non qua ex parte hãc aut illam proprietatem habent: ita in libris prioribus Ariſtoteles docet. quæ ſanè rerum, cauſarúmque conſideratio ſimilis ei eſt, qua rerum omnium quinque illa communiſsima elementa, eſſentiam, idẽtitatem (ita liceat ταυτότητα interpretari) diuerſitatem, ſtatum & motũ in Timæo & ſophiſta, atque etiam alibi Plato contemplatur: quippe quæ rerum quatenus ſunt, elementa duntaxat ſint, nec qua ex parte hac aut illa præditæ natura. Cùm verò hic ſit Metaphyſici operis ſcopus, mentes diuinæ in eo veluti pars exigua comprehenduntur. Sed

illa quidem præſtantiſsima atque præcipua, partim, quòd in ſubſtantia, quam hæc ſcientia maximè contemplatur, primum locum habeant, partim quòd reliquarum ſubſtantiarum principia ſint & cauſæ. Quo etiam fit, vt illas non ſolùm quatenus ſunt, quemadmodum reliqua, Metaphyſica contempletur, ſed omnem earum naturam & proprietatem pertractet: quam tractationẽ cùm nũc tantum explanare inſtituerimus, reliquam libri partem vnà cum ſuperioribus libris, ſi vixerimus, aliàs explanabimus. Magnam enim, eandémque variam & multiplicem rerum cognitionem continent, quæ & ipſa per ſe cognitu præclara eſt, & ad omnem Philoſophiæ reliquæ partem, aliáſque ſcientias maximum vſum habet, vt niſi apprimè ſciantur maximo bono mentem priuari, nec minori eam affici incommodo neceſſe ſit. qui etſi ab interpretibus multis, Alexãdro, Auerroy, Thoma, & aliis expoſiti fuerunt, plurima tamen in eorum commentariis deſiderantur, quæ aut ego tradam aperiámque, aut ſaltem alios doctiores ad ea tradenda & aperienda excitabo. quod ſanè in huius partis interpretatione præſtare enixus ſum. Sed libros primùm de rebus naturæ ab Ariſtotele conſcriptos interpretari inſtitui, quod iam facere incœpi, commentariis in eos, qui de Naturali auſcultatione inſcripti ſunt, exaratis & editis, nonnullis aliis exaratis quidem, ſed tamen non editis.
Cùm autem hæc præfationis loco ſatis dicta ſint, ad verborum interpretationem aggrediamur.

QVoniam autem tres ſunt ſubſtantiæ, duæ quidem naturales, vna verò immobilis, de hac dicendum eſt, neceſſarium eſſe, ſempiternam aliquam ſubſtantiam immobilem exiſtere.

De Deo, ac reliquis mentibus diuinis ad differendū aggrediēs Ariſtoteles, illud in primis docēdū eſſe, ac demonſtrādū iudicauit, in rerū vniuerſitate neceſſariò eas exiſtere. eſt enim hoc primū, quod in quacunque diſputatione, ſeu pertractatione explicari ſolet, ſitne res ea, quæ ad diſputandum, ſeu pertractandū proponitur. niſi nanque eam eſſe cōſtet, fruſtrà deinde, quid & qualis ſit, inueſtigatur. quòd ſi nonnulla inueniantur, quæ exiſtere, oculis, aliiſque ſenſibus deprehendamus, nulla ad ea ſtatuenda demōſtratio afferri ſolita eſt, quippe quæ omnis ſuperuacanea videretur. Ita Ariſtoteles in naturali auſcultatione, de motu cùm differit, quid ſit, primùm inquirit, quæſtione, vtrum ſit, nécne, præteritâ. Nec ſecus in libris de anima ad inueſtigandum, quid illa ſit, priore loco ſe confert, vt quam eſſe, quemadmodū & motum, omnes perſpectum haberent, hunc quidem ſenſu, illam ex motu & cognitione. At quæ ſenſum planè effugiunt, quòd ſint, an non ſint, reuocari in dubium ſoleant, aliis eſſe, aliis non eſſe illa dicentibus, demonſtrationem, qua eſſe ſtatuantur, requirūt. quo in genere mentes ſunt diuinæ, ſeu ſubſtantia immobilis, quam exiſtere non ita, vt mobilem omnibus compertum eſt. quod quidem in cauſa fuit, vt ſubſtantiæ hoc genus nonnulli ignorauerint, vt veteres naturæ ſcrutatores, ſubſtantiam duntaxat corpoream eſſe rati: alij negarint vt ij, quos Plato in Theæteto ἀμυήτους appellat, eos inquiens nihil eſſe exiſtimare, niſi quod manibus poſſunt apprehendere. Alij ſi non negarunt, at certè dubitaſſe ſe ſcriptis ſuis teſtati ſunt: veluti Protagoras Abderites, qui de diis differēs, hæc verba initio protulit, De diis quidem ſtatuere nequeo, neque an ſint, neque an non ſint. Plurima enim ſunt, quæ id ſcire prohibent,

quippe & ſumma rei incertitudo, & breuis hominis vita. Ob quam de diis ſententiam pulſus ab Athenienſibus eſt, & vrbe atque agro priuatus, libris illius in foro crematis, qui ſub præconis voce a ſingulis, qui illos habebant, fuerunt inueſtigati. Ob hanc itaque deorum, quos ſubſtantiæ æternæ & immobilis genere contineri arbitratus eſt, occultationem, variámque ſententiam, exiſtere illam Ariſtoteles primùm demonſtrat, neceſſariũ eſſe, inquiens, perpetuam aliquam immobilémque ſubſtantiam eſſe. Prius autem hanc diſputationem cum ſuperioribus connectens, ſubſtantiam vniuerſam in tria genera partitur, in eam, quæ oritur & interit, qualis tota ea eſt, quæ ambitu lunæ continetur: in cæleſtem, quæ ab ortu & interitu, aliáq; omni perniicioſa mutatione liberata, ſola cietur cõuerſione: & in eam quæ omni prorſus mutatione vacat, quales ſunt cæleſtium orbium animæ ac mentes: de quo ſubſtantiæ genere nunc diſſerere inſtituit, cùm de duobus aliis in naturali philoſophia, atque in priori huius libri parte, & in ſuperioribus etiam huius ſcientiæ libris diſſeruerit. Cúmque tertium genus immobile appellet, reliqua duo nominat naturalia, quòd motionibus variis cieantur, quarũ principium ac cauſa natura eſt, vt in ſecundo de naturali auſcultatione eſt traditum. Immobile autẽ genus, naturale dici non poteſt, vtpote ab omni mutatione vacuum, ſolutum ac liberum, quemadmodum in progreſſu notum fiet.

Nam & ſubſtantiæ entium ſunt primę, & omnes interire ſi poſsint, omnia poterũt. at fieri non poteſt, vt motus aut oriatur, aut intereat. ſemper enim fuit. Nec item tempus. quandoquidem niſi ſit tempus, nec prius vllum, nec poſterius eſſe poſſit. Motus itaque ita cõtinens eſt quemadmodum & tempus. aut enim idem eſt, quod motus, aut eius quædam affectio. Nullus item motus continuatus eſt, niſi is qui in loco fit, & huius, conuerſio.

Sempiternam aliquam & immobilem ſubſtantiam exiſtere, quemadmodum propoſuit, demonſtrare aggreditur. Ac illam quidem pulcherrima methodo, quippe qui aliquam perpetuam eſſe primùm doceat, tum eâ inuenta, & aliis quibuſdam de ipſa demonſtratis, ad eiuſdem immobilitatem ſenſim nos ducat. Rationem autem ad ſubſtantiam ſempiternam conſtituendam partim ex ſubſtantiæ natura, partim ex motus ac temporis perpetuitate ductam breuiter & conciſe affert, quæ aliquantulum dilatata, hunc in modum concluditur: Si nulla ſubſtantia eſt, quæ ſemper ſit, quæque & nullum ortũ habeat, & nunquã extinguatur, vniuerſa profectò, quæ ſunt, caduca eſſe & labefactari fateamur neceſſe eſt: quandoquidẽ, ſubſtãtiæ omniũ rerum ſunt primæ, ita vt illis omnibus ſublatis, cætera, quæ conſequuntur, & illis hærent, ac per ſe conſtare nequeunt, pariter concidant oporteat. Verùm vniuerſa haudquaquã interire, tempus & motus planè indicant: quæ duo nec orta ſunt aliquando, nec caduca ſeu mortali natura, quæ interdum eſſe deſinat, prædita ſunt. Semper item fuit tempus, abſque vllo omnino aut principio, aut extremo. Nam ſi id aut ortum ſit, aut intereat aliquãdo, cùm nullius rei generatio aut interitus ſine prioris & poſterioris, quæ ſunt temporis differentiæ, notionibus cõprehendi poſſit, fuiſſe tempus antequã gigneretur, vel cùm interierit, ſupereſſe adhuc neceſſe eſt. Antea enim, ſi ortum eſt, non fuit, póſtque extitit, idem ſi occidat, pòſt non erit, cùm prius extitiſſet. Cùm igitur ante ſuiipſius ortum, tempus fuiſſe, aut poſt eiuſdem interitum, adhuc eſſe, ne cogitatione quidem apprehendi queat, ſempiternum illud, & non mortale eſſe dicendum eſt. qua ſempiternitate cùm tempus donatum ſit, motus quoque, cuius proprietas quædam & affectio tempus eſt, niſi idẽ ſit ac motus, eâ ipſa præditus ſit oportet. Motus verò non omnis, ſed is, qui ad locum pertinet, nec quiuis ex eo genere, ſed is, qui cõuerſio dicitur, quo cæleſtes orbes in omni ſempiternitate verſantur. Itaque ſi motus & tempus neque orta ſint, neque interire queant, ſubſtãtiam quoque aliquam, quæ nunquam cõcidat, ſed vigeat perpetuò, eſſe neceſſe eſt. Hæc

Ariſtotelis ratio eſt, tribus enunciatis, quæ ab eo alibi fuerūt expoſita, innixa. Vnum eſt, ſubſtantiam reliqua rerum genera antecedere: quod & in ſeptimo libro huius ſcientiæ monſtratum eſt, cùm tempore, naturâ & ratione, reliquis omnibus rebus ſubſtantiam anteire docuit, & in huius duodecimi exordio, cùm eam ipſam ſubſtantiam omnium entium primam eſſe, quouis modo illa animo conciperentur, pronuntiauit. Alterum enuntiatum eſt, ſublatis ſubſtātiis reliqua omnia tolli, & nihil manere: quod & in categoriis & in ſeptimo huius operis poſitum eſt & explicatum, pendétque à primo: ſiquidē eo, quod prius eſt, ſublato, cætera quoque auferantur neceſſe eſt, cùm præſertim poſteriora ita priori hæreant, vt nullo modo conſtare per ſe queant, cuiuſmodi omnia ſunt rerum præter ſubſtantiam genera. Tertium enuntiatum, eſt, motum & tempus nec orta eſſe nec interitura: quod in octauo auſcultationis naturalis diſputatum fuit, & rationibus compluribus demonſtratum: tum iis, quas hic breuiter attulit, tum aliis, quas, ne longius, quàm par eſſet, ab inſtituto digrederetur, & (vt in prouerbio dicitur) τὰ παρεργὰ πλεῖω εἶεν τῶν ἔργων, quod ipſe cauēdum in primo Ethicorum monet, hoc in loco præteriit. De motu duas hoc in loco rationes affert, & quòd ſemper fuerit, & quòd tempus, quod idem eſt, quod ipſe motus, aut quædam eius affectio, ſempiternitate donatum ſit. Motum autem ſemper fuiſſe non docet, ſed in octauo naturalis auſcultationis hunc in modum monſtrauit. Si motus non ſemper fuit, ſed aliquando genitus eſt, præceſſiſſe res aliquas, quæ illo poſſent cieri, neceſſe eſt. Eſt enim motus, rei mobilis, quatenus mobilis eſt, inchoata quædam perfectio: vt in tertio eiuſdem operis monſtrauerat. Id verò etiam cōſtat, ſi omnis motionis ſpecies ac genera percurrantur. Alteratio ſi futura ſit, id, quod alteratione illa cieri poſſit, antegrediatur oportet. Similiter ſi delatio: id enim præcedat neceſſe eſt, quòd illâ agitetur. Præter hæc verò & illa, quæ motu cierent, cúmque ipſum, cùm antea non eſſet, inchoarēt, antegreſſa fuiſſe oportuit. Quæritur itaque an motum tempore infinito res illæ anteceſſerint, ſempiternæque

fuerint,an ipſæ quoque aliquando fuerint procreatæ. Hoc enim poſterius ſi detur,cùm antequam gignerentur, non eſſent,aliquis motus neceſſario præiit,cuius operâ prodirent, atque in lucem promerentur. Ita fit, vt cum motum, qui primùm ortus cõſtituebatur,alius quidam prior præceſſerit,illeque primus non ſit. De quo motu priore eadem redit quæſtio,ita vt ante omnem motũ ſit motus, nec vllus ſit primus, qui aliquando ortus queat monſtrari. ſemper igitur fuit motus. Quòd ſi altera diſiũcti pars afferatur,naturáſque illas ſeu mouentes ſeu motas non progenitas æternum præceſsiſſe, motu interdum genito dicatur, ſciſcitanda continuò mutationis cauſa(neceſſe eſt enim aliquam fuiſſe)occurrit,propter quam motores illi mouere,mobilia moueri incœperint, cùm antè neque hæc mouerentur,neque illi motionem vllam efficerent. Cauſa verò nulla alia excogitari poteſt, quàm,quòd vel longius inter ſe diſtabant,quàm vt vis mouens agere in res tam longinquas poſſet, tũc autem,cùm mouere incœpit, propinquiora facta ſunt,aut intermedium aliquod ab æternitate obſtabat,quo poſtea ſublato cœpit motus effici. Horum vtrumuis ſtatuatur motum alium inuehere neceſſe eſt, qui primo illo,quem genitũ ponimus,ſit prior. De quo cùm eadem,quæ prius,redeat quæſtio,vel infinitos motus, vnũ ante alterum eſſe oportebit,vel aliquem cõcedere, qui nunquam ortus tempore ſempiterno prçceſſerit. Hac Ariſtoteles ratione ad motus ſempiternitatem ſtatuendam in octauo Phyſicorum eſt vſus. quo in loco & aliam adiecit è temporis ductam natura, quam hic, ſed magis conciſè, attulit. Temporis verò ſempiternitatem quemadmodum monſtrauerit expoſitum eſt. quod verò in eiuſmodi demonſtratione aſſumpſit,tempus idem eſſe,quod motum,aut eius quandam affectionem, in quarto naturalis auſcultationis accuratè admodum & doctè explicauit. Principio enim tẽpus non eſſe motum,vt quidam opinati fuerant, monſtrauit: tum quòd motum id tantum in ſe accipiat, quod illo cietur, tempus verò vbique ſit,& æquè apud omnia: tum quòd omnis motus velox ſit aut tardus,quod tempori non conuenit: ſiquidem tem

pus nec velox nec tardum dicitur, quin potius tempore velocitas omnis & tarditas definitur. Cùm verò tempus motus non ſit, adiecit, ſine motu eſſe non poſſe. Nam cùm ipſi (inquit) nihil mente mutamur, aut nos eſſe mutatos non animaduertimus, tempus præteriiſſe nobis non videtur, quemadmodũ nec hiſce, quos ferunt in Sardo apud heroas dormire, cùm fuerint experrecti. Cùm igitur tẽpus nec motus ſit, nec ſine motu, fit, vt ipſius aliquid ſit. Eius verò numerũ ſecundũ prius & poſterius eo in loco eſſe docet: ſiquidẽ tempus fuiſſe tum dicimus, cùm prius in motu poſteriúſue, hoc eſt aliquam eius priorem partem, aliquam poſteriorem ſenſerimus. Hoc cùm ita ſe habeat, efficitur, vt, ſi tempus æternum ſit, motus quoque perpetuitatem acceperit: motus autem inquit non omnis, ſed is, qui fit in loco, & huius ipſius, conuerſio. De qua quidem re, quam hic ſolùm attingit, in octauo naturalis auſcultationis longa oratione diſſeruit. Quam vt paucis perſtringam, ſolam conuerſionem ſempiternam eſſe poſſe hunc in modum demonſtrauit. Motus omnes dempta conuerſione terminis quibuſdam clauduntur, iidémque ab oppoſito in oppoſitum ſe conferunt: generatio enim ex non ente ad ens, interitus ex eo, quod eſt, ad id quod non eſt, progreditur: accretio & imminutio ex certa, finitáque magnitudine & paruitate in certam finitámque deſinunt: alteratio à contraria qualitate in contrariam eſt: latio recta terminos habet, locum ſuperum & inferum, quæ non ſunt infinita. Nullus igitur horum motuum continẽs & perennis eſſe poteſt: niſi ex multis contrariis motibus, vt ex ortu & interitu, ex accretione & imminutione vnus quidam perpetuus ac perennis coaleſcat, quod fieri nullo modo poteſt: ſiquidem inter contrarios motus quies intercipiatur, neceſſe eſt. Sola conuerſio contrarietatis omnis expers eſt, nullíſque terminis clauditur, vt quæ ex eodem ad idem fiat, ſempérque in principio, medio & fine exiſtat: quamobrem ſola perennis ſempiternáque eſſe poteſt. Atque hunc in modum tria illa explanata ſunt enuntiata, quibus Ariſtotelis rationem inniti diximus. Sed illud prætereundum non eſt, non

eiuſdem ſcientię aut facultatis eiuſmodi enuntiata eſſe, quin potius naturalis philoſophiæ poſtremum, priora autem duo primæ & diuinæ. quod Auerroys animaduertẽs dixit, ſubſtantiam æternam immobilem exiſtere, vtriuſque ſcientiæ propoſitionibus Ariſtotelem demonſtrare incœpiſſe, per vtramque ſcientiam, naturalem & diuinam intelligens philoſophiam. Quanuis vltima particula primi de naturali auſcultatione genus rerũ à materia abiunctarũ exiſtere in naturali tantũ ſcientia explicari prodiderit. quæ loca inter ſe non pugnant, quãdoquidẽ in primo illo nihil aliud (vt mihi quidem videtur) voluit docere, quàm mentes illas à materia abiunctas, in nulla ſcientia abſque naturalis philoſophię propoſitionibus ſeu principiis monſtrari. In Auicennam enim inuehebatur, qui abſque naturalibus propoſitionibus demonſtrationem eiuſmodi fieri poſſe tradiderat. Nec negauit Auerroys aliqua ex prima philoſophia in ea re demonſtranda accipi poſſe. quod quidem ſi negaſſet, tum ab Ariſtotelis doctrina, tum verò etiam à ſeipſo diſſenſiſſet. Sed illud eſt animaduertendum, ſubſtantiam tantum aliquam, quæ perpetua ſit, hac demonſtratione demonſtrari: non item ſubſtantias immobiles, & quæ à materia abiunctæ ſint, eſſe. Ideo Auerroys propoſitionibus vtriuſque ſcientiæ, ſubſtantiam immobilem eſſe demonſtrari, abſolutè non dixit, ſed demonſtrari incœpiſſe. Nam quæ attinent ad eius immobilitatem, & à materia ſeparationem in progreſſu oſtẽdentur. Hanc ob cauſam non eadem eſt hęc atque illa octaui Phyſicorum demonſtratio, qua, aliquem mouentem primum ſempiternum eſſe, ex motus æternitate oſtenditur. quod quidem in progreſſu quoque huius libri demonſtrabitur. quę demonſtratio omni ex parte eſt naturalis, & ſupra cælum nos tollit, cùm hęc, de qua nũc agitur, methaphyſica partim ſit, partim naturalis, vtpote ex accidentis & ſubſtantiæ, quæ Methaphyſicæ ſunt contemplationis, natura, motúſque perpetuitate ducta, nec vltra cælum nos efferat, quòd ipſum quoque cælum ſubſtantia ſit ſempiterna, eiúſque ſempiternitas ex motu ſempiterno oſtendatur. Ac illud quidem fatendum

eſt, niſi demonſtrationi huic alia adiicerentur, eam, ad id monſtrandum, ſubſtantias à materia abiunctas exiſtere, exiguum momentum habituram. Sed id, quod monſtratum eſt, ſubſtantiam aliquam perpetuam exiſtere, vnà cum his, quæ mox oſtendentur, ſubſtantiam immobilem à materia abiunctam in rerum vniuerſitate eſſe, efficaciter docebit. Porrò in ea, quæ nunc allata eſt, demonſtratione non magnam efficacitatem ea, quæ de temporis ſempiternitate concluſa ſunt, Philopono & Thomæ videntur habere, imò verò probabilia tantum eſſe, & quæ non multa difficultate diluantur. Neque enim quod prius aut poſterius dicitur, tempus perpetuò id indicare, temporíſque notionem coniunctam habere: ſiquidem mens prius vnum apprehendit, poſteriùs, aliud: primus item mouens, qui primum globum motu ciet, prius ſe globum ſuum, quàm alios mouentes, eos, qui ſequuntur, mouiſſe intelligit, qui tamen mouens primus ménſque à tempore abiuncta ſunt, coniunctúmque illud non habēt. Itaque cùm dicitur, tempus non fuiſſe priuſquam gigneretur, aut non fore, poſtquam interierit, cum prioris & poſterioris vocabulis tempus vnà intelligi, neceſſariò nō eſſe, ſed illud ſolū indicari, tēpus non ſemper fuiſſe aut fore, nec naturā prioris & poſterioris reipſa introduci, ſed cogitatione tantum apprehendi, quemadmodum qui extra cælum nihil eſſe aiunt, illâ particula, extra, locum aliquem verum minimè intelligere, quippe cùm nullus ſit talis, ſed animo tantum & intelligentia concipere. Hoc enim modo extra cælum neque locum, neque inane, neque corpus vllum eſſe, Ariſtotelem pronuntiaſſe. Alioqui, cùm locum extra cælum eſſe negaret, tum maximè eum ſtatuiſſet. Ita Ariſtotelis de temporis ſempiternitate demonſtrationem, qua motus ſempiternitas colligitur, infirmam eſſe & imbecillam hi, quos nominauimus, viri demonſtrare enixi ſunt. Cùm autem & alia, quibus in motu perpetuo ſtatuēdo tum hîc, tum in octauo Phyſicorum Ariſtoteles vſus eſt, leuia eſſe, nec efficacitatem habere exiſtimarint, eáque diluere conati ſint, ne motus ipſius ſublata æternitate ad primi mouētis ſempiternitatem oſten-

dendam deeſſe ratio videretur, hac demonſtratione demonſtrari poſſe Thomas putauit. Si (inquit) mundus genitus eſt, aliqua certè natura anteceſſit, quæ illā gigneret & moliretur. quæ ſi & ipſa aliquo ſit ortu generata, efficientem cauſam, a qua genita ſit, habeat neceſſe eſt. Itaque aut cauſarum gignentium ſeries erit infinita, aut ad aliquam venietur, quæ prima, & æterna, & ſimplex, & omnis potentiæ expers à nullo omnino fuerit effecta. ſed quiuis facilè concedet, nullam ad ſubſtantiam ſeparatam, Deúmque eſſe, demonſtrandum difficultatem eum ſentire, qui mundum genitum ſtatuat: ab aliqua enim cauſa, nec temerè (vt Democritus, Leucippus, & Epicurus putarunt) gigni (vt in Timęo præclarè docet Plato) oportuit, quando pulcherrimus vniuerſi ordo, atque conſtans & continuata rerum omnium viciſsitudo, ſi vniuerſum ipſum effectum eſt, & genitum, caſu & temerè ipſum non cōſtitiſſe ſatis ſupérque indicant. In eo verò eſt difficultas, vt mundi poſita ſempiternitate deum aliquem ſupremū exiſtere rationibus monſtretur, quod Ariſtotelem feciſſe oſtenſum eſt. quæ autem contra Ariſtotelis ipſius de temporis æternitate demonſtrationem à Philopono & Thoma afferuntur, diluere ex parte tam facile eſt, quàm quod maximè. quid enim, ſi prioris & poſterioris vocabulis nec ſitus nec ordo naturæ aut perfectionis ſignificetur, ſignificari aliud præter tempus poſsit, non video: quandoquidem tot τοῦ προτέρου καὶ ὑστέρου ſignificationes in categoriis, Ariſtoteles prodidit. Quòd ſi mens aliquid prius intelligit, aliud poſterius, tempus medium interceſſerit, neceſſe eſt, quod etiam tempus ipſa intelliget, ſi hoc vt prius, illud vt poſterius agnoſcat. Nec ita à tempore abiuncta mens eſt, vt ſi ex vna notione ad aliam tranſeat, ei dicatur coniuncta. Primus autem mouens, ménſque omnium ſuprema omnia ſimul intelligit, ſuíque orbis & aliorū varium ad eundē locū reditū ſimul apprehendit, præteritáque & præſentia & futura ſimul contemplatur: quanquam hanc ſingularum rerum cognitionem menti ſupremæ (quemadmodum in progreſſu videbimus) Ariſtoteles negat. Id verò, quod dicebatur,

prioris & poſterioris vocabulis non magis tempus verum, quàm particulà, extra, locum verum ſignificare, momentum quidem, vt mihi videtur, aliquod habet, nec facilè à quoquã dilui poterit, vt hanc vnam ob cauſam, neque temporis, neque motus ſempiternitatem fateri Ariſtotelis ratione cogamur, ſed liberum nobis ſit, vtriuſque ortum, quod religio docet, ſentire. Fortaſſe tamen hunc in modum diluerit aliquis, omnino ſimile non eſſe: ſiquidem magnitudinem mundi finitam eſſe nullâ extra eum loci differentia poſita intelligere poſſumus, idémque valet hoc, quod dicitur, extra mundum nihil eſſe, atque illud, in mundo omnia contineri, particuláque, extra, locum cogitatione ſola concipimus, tempus autem genitum, cùm antè non eſſet, ſine tempore, in quo non erat, particuláque, ante, ſignificatur, neminem poſſe apprehendere. Ac de his quidem, quantum ad præſens attinet, ſatis: nam longior & magis exquiſita de re hac diſputatio ad librum octauum de naturali auſcultatione ſpectat.

At verò ſi id eſt, quod mouendi quidem aut efficiendi facultate præditum ſit, agat tamen nihil, motus non eſt. Non agere enim id poteſt, quòd facultatem habet. Nihil igitur conducet, ſi perpetuas aliquas ſubſtantias inducamus, quẽadmodum ij, qui Ideas, niſi principium aliquod inſit, quod immutare valeat. Neq; hoc itẽ ſatis eſt, nec alia præter Ideas ſubſtantia. niſi enim agat, motus non erit.

Subſtantiam aliquam, quæ ſempiterna ſit, & nullo ortu generata, exiſtere demonſtratum eſt: nunc eádem via, nempe ex motus æternitate illud demonſtratur, hanc ipſam ſubſtantiam ſeu omnino ſubſtantiam aliquam eſſe, quæ mouendi ac efficiendi vires & facultatem habeat, actúque moueat, atque aliquid agat & moliatur. Niſi enim eius generis ſubſtantia exiſtat, motum, qui ſempiternus eſſe monſtratus eſt,

eſſe non poſſe. quippe qui ab aliquo, quod mouendi facultate ſit præditum, actúque in opere verſetur, proficiſcatur neceſſe eſt. Itaque ad motum ſempiternum ſtatuēdum & conſeruandum, nihil nobis conducere, ſi eius generis ſubſtantias perpetuas inducamus, quales ſunt Ideę aut aliæ, etiam quędam à nonnullis inuectę, in quibus nullū mouendi ac efficiendi principium continetur. videtur autem Ariſtoteles non mouendi ſolùm facultate ſubſtantiā ſempiternam præditam eſſe, ſed actu eam mouere, & in opere verſari, atque hoc quidem maximè probare voluiſſe, quòd vis & facultas ab opere ſeiungi queat, multáque inueniantur, in quibus vis agendi aliquid ineſt, qua non vtentia otioſè degunt. Neque enim Megaricorum ſententia eſt vera, qui tum ſolùm rem poſſe agere, & mouere, cùm ageret & moueret, non poſſe autem, nec agendi aut mouendi vim habere, cùm ab actione vacaret, cenſebāt, quorum ſtultam & vanam opinionem in nono libro huius ſcientiæ Ariſtoteles reprobauit. quòd ſi nullam eiuſmodi virtutem, quæ ad actionem non prodeat, inueniri poſſe aliquis obiiciat, eo argumento ductus, quòd vis illa ſuperuacanea eſſet, illámque natura fruſtrà effeciſſet, quæ tamen natura ſuperuacaneum nihil ſolet facere, huic reſpondēdum ſanè exiſtimo, naturâ quidem ſua vim quamlibet ad agendum aptam eſſe, in actionémque niſi impediretur proditurā, ſed ab actione ſępenumero vel impediri, quēadmodum in eo, qui vinculis detinetur, motrix facultas, & in dormiente ſenſuum vires, vel ſi non impediatur, ceſſare tamen, quòd ita melius exiſtimet. quo quidem modo vis, quæ animal mouet, non ſemper mouet: neque enim animali ipſi, vt ſemper moueatur, expedit, quippe quod & quiete ſępe indigeat. Cùm igitur & ab aliis impediri, & ſponte ceſſare virtus ab actione poſsit, ad motus naturam ſempiternam conſeruandam non id ſolùm Ariſtoteli docendum fuit, mouendi vim & facultatem in ſubſtantia æterna ineſſe, ſed vim quoque eam otioſam non eſſe, atque actioni incumbere. Quam ob cauſam ſubiicit, nec Ideas, nec alias quaſdam ſubſtantias à nonnullis aliis poſitas, motui faciendo nihil-

conducere, quandoquidem nec agũt, nec agendi vllum in ſe continent principium aut facultatem. quæ verba cõtra Platonem & Pythagoricos dicuntur. Plato enim (vt Ariſtoteles in primo huius operis ſcribit) pręter ſubſtantias, quæ ſenſu apprehendi poſſunt, duo earum genera eſſe cenſuit, quæ cogitatione tantum & intellectu percipiuntur: vnum quidem earum, quas Ideas nominauit: alterum formarum mathematicarum, quas inter Ideas & ſubſtantias ſenſiles medias poſuit. quòd partim cum vtroque extremo conuenirent, partim ab iiſdem differrent. Ideas voluit eſſe ſpecies quaſdam ſempiternas à materia abiunctas, quæ & mundi huius, qui ſub aſpectum cadit, & omnium, quę eo continentur, oriuntúrque & intereunt, eſſent exemplaria, ſoláque intelligentia & nullo ſenſu aùt etiam opinione apprehẽderentur, quarum nulla eſſet in rebus procreandis aut mouendis efficientia, exemplariſque duntaxat munere fungerentur, cúmque eſſent ſempiternæ, ſolæ poſſent definiri & ſciri, earúmque beneficio de rebus ſcientia haberetur. De quibus Ideis in Parmenide diſſeruit, Timæo, aliíſque compluribus in locis. Formas autem mathematicas medias, vt dixi, inter Ideas & res ſenſiles collocauit. Immobiles enim & à materia reipſa, non ſola cogitatione, vt Peripatetici ſtatuunt, ſeparatas, quemadmodum & Ideas eſſe voluit, diuiduas verò & multas in eadem ſpecie quemadmodum ſenſiles. Pythagorici autem ſubſtantias primas numeros eſſe arbitrati ſunt, itaque ex illis, vt ex primis initiis, omnia, quæ fiunt, progigni. Hoc igitur ſubſtantiæ genus à Pythagoricis inuectum, & illas quoque, quas Plato induxit, Ideas, & ſi ſempiternitate ſint præditæ, in rerum vniuerſitate non ſufficere Ariſtoteles docet: neque enim ad motum faciendum, atque perpetuitate donandum, vllo modo conducere. quippe quæ nullam mouendi facultatem obtinere ſtatuantur, atque, vt obtinere cõcederentur, tamen non moueant, nihílque agãt, ſed exemplaris duntaxat otioſi munere fungantur. Nec verò vlla ab eis actio prodire poteſt, quòd Ideæ, formæ quædam ſunt communes, ſingularúmque rerum actio ſit propria, vt

in primo huius operis eſt traditum: numeri autem & mathematicæ omnes formæ actionis prorſus ſunt expertes, & omnino motus. Cùm verò ita res habeat, nemo propterea ex his Ariſtotelis dictis in eam ſuſpicionem adducatur, vt putet, Ideas ad motum faciendum à Platone poſitas fuiſſe. Eam enim functionem Ideis Plato non dedit, ſed exemplaris tantum, quemadmodum docuimus. Atque eas quidem neceſſarias eſſe putauit, quòd pulcherrimam hanc mundi molem, & omnia, quæ eo ſunt concluſa, genita eſſe, & illa quidem non caſu aut fortuito, ſed voluntate ac mente, eáque optima, quæ abſque exemplari nihil agit, exiſtimauit. Mundi autem motum eis non tribuit, ſed animæ ac menti, quæ, cùm intelligendo quadam veluti conuerſione in ſe moueatur, non diſsimili motione vniuerſùm ciet. In eas verò cùm aliis in locis, & in primo huius operis præſertim, tum hoc in loco, tanquam aut ſuperuacaneas, aut minus ſufficientes Ariſtoteles inuehitur: ac quid alibi contra eas dixerit, rectéque, an ſecus, nunc diſpiciendum non eſt. nunc verò damnaſſe eas videtur, quòd nullas alias ſubſtantias à materia abiunctas, & quæ ſolâ intelligentia apprehendantur, niſi has obtrudere perpetuò videatur: nullum autem de mentibus diuinis, quibus cæleſtes ſphærę agitantur, tanquam de ſubſtantiis ſupremis facere ſermonem.

Præterea nec ſi agat quidem, eius autem eſſentia, potentia ſit: ſempiternus enim motus non erit: quãdoquidem quod poteſtate eſt, poteſt non eſſe: tale igitur eſſe principiũ, cuius eſſentia, actus ſit, neceſſe eſt.

Admirandum eſt, quantum vſum ad demonſtrandum primam ſubſtantiam, primúmque omnium rerum principium & eſſe, & quid ſit, aut quæ eius ſit natura & eſſentia, motus ſempiternitas habeat. Hactenus enim ſubſtantiam aliquam æternam exiſtere, eámque mouendi & efficiendi facultate præditam eſſe, actúque mouere, & agere ex ea de-

monſtratum eſt, nùnc eſſentiam huius ipſius ſubſtantiæ omnis potentiæ expertem, actúmque purum & ſimplicem eſſe vi eiuſdem ſempiternitatis demonſtratur. Hãc enim ſempiternitatem non futuram eſſe, ſi potentiæ particeps mouens hæc ſubſtantia ponatur, tradit, quòd quicquid poteſtate ſit, eam naturam habeat, vt idem poſsit non eſſe. Eſt autem de potentia patiendi, non agendi, hæc Ariſtotelis concluſio intelligenda. Nam quæ agendi vis eſt & potentia in ſuperiori concluſione, huic ſubſtantiæ tributa eſt, & illa quidem eius generis, quæ in actione perpetuò verſetur, actionémque ipſam non antecedat. Quæ enim actionem potentia antecedit, atque ab ea ſeparatur, non magis quàm ea, quæ patiendi eſt, ſubſtantiæ huic poteſt conuenire. De quibus duobus potentiæ generibus, agendi videlicet & patiendi in nono libro huius operis copioſe fuit diſputatũ, atque inter cætera id traditum, patiendi potẽtiam eam eſſe, qua quæ participant, eſſe ac non eſſe poſſunt, atque ita ad extremũ occidere. quamobrem, cùm nulla ſit potentia, quæ, ſi nihil ſuperuacaneum in natura (vt Ariſtoteles docet) reperiatur, non aliquando in actum erumpat, non ſolùm motus, ſi potentiam hanc patiendi admiſtam ſubſtantia hæc, de qua diſſeritur, habeat, ſempiternus non erit, ſed ne ipſa quidem ſubſtantia perpetuò poterit durare, quippe quæ vi eius potentiæ ad occaſum ducetur. Cùm igitur eam ſempiternam eſſe fuerit monſtratum, vt potentiâ participet, fieri non poteſt. Poſſet verò & hac ratione perſuaderi, ſubſtantiam aliquam eſſe oportere omni potentia deſtitutam, quę actus ſimplex ſit & purus. Cùm enim potentia pura in rerum vniuerſitate inueniatur, nempe materia prima, quæ tametſi aliquem actum ſibi hęrentem ſemper habet, omnis tamen actus ſuapte natura eſt expers, quippe quæ ex ſe informis eſt, & ſola illarum ſedes, concretum prætera ex potentia & actu eſſe, liquidò conſtet, reliquum profectò extremum aut debet, aut poteſt à nullo ſanæ mentis homine negari: id eſt, actus, purus & ab omni potentia liberatus. quo ea quæ occidunt, eſſeque deſinunt aliquando, cùm non definiantur, quippę quæ potentię, quam obtinent, meritò oc-

cidant, reliquum eſt, vt ſubſtantiæ alicui æternæ conueniat, ac illi quidem non omni, ſed ei quæ & vi mouendi efficiendique prædita eſt, & in actione ſemper verſatur. Eiuſmodi ea eſt, de qua diſſeritur, quæ eſt omnium rerum primum principium. Ex quo fit, vt ſubſtantia eiuſmodi ab omni imperfectione vacet, nec rerum omnium perfectiſsima tantum ſit, ſed ipſamet perfectio, nempe à potentia liberata, quæ ſui naturâ imperfecta eſt. Sic mẽtis humanę perfectionẽ atque excellẽtiã explicare Ariſtoteles in tertio libro de Anima cùm vellet, actum eſſe illius eſſentiam tradidit, quippe quæ perpetuò in intellectione vèrſaretur, nec aliquando quidem intelligeret, aliquando non intelligeret. De hominis enim intellectu, vt ſimpliciter in omnibus ineſt hominibus, loquebatur. Nec mirum quidem, ſi intellectui humano ſimpliciter ſumpto id tribuebat, quod huic ſubſtantiæ, de qua nunc diſſeritur, quam diuinam mentem eſſe demonſtrabit, tribuit. Eſt enim & ipſe diuinum quiddam, & à corpore naturâ abiunctum, quanuis hôc ab hac ſubſtantia vincatur, quòd hæc à corpore nullo modo, vt docebitur, pendet, nec eò in ſua intellectione vtitur. quod humanus intellectus non facit, qui abſque corporis miniſterio intelligere non poteſt. Ex quo id efficitur, vt ipſum & ſubſtantiam, de qua eſt ſermo, eſſentiam habere, quæ actus ſit, non eodem prorſus modo Ariſtoteles tradiderit. Sed de his aliàs. Illud verò prętereundũ non eſt, ad hoc, quod de potentiæ vacuitate, actúque puro & ſimplici, qui ſubſtantiæ æternæ eſſentia ſit, demõſtratum eſt, eam ipſam immobilem eſſe, conſequi. Etenim ſi motus rei, quæ potentiâ mobilis eſt, quatenus mobilis actus eſt, vt in tertio naturalis auſcultationis eſt proditum, nihil profectò, quod potentiæ expers ſit, poterit moueri: ſed huius ſubſtantiæ immobilitatem in his, quæ ſequentur, apertè Ariſtoteles demonſtrabit. Nunc verò aliud ſubiicit, è quo eam actum eſſe potentiæ expertem colligit.

Iam verò & materiæ quoque expertes eſſe haſce ſubſtantias oportet, quandoquidem & ſempiter-

nas, ſi aliud quidpiam, quamobrem & actu.

Omnia numero vnius hactenus demonſtrauit, nunc multitudinis numero loquitur, vt indicet, vnũ quidẽ ſubſtantię genus eſſe ab aliis diuerſum, ſed tamen multas numero ſubſtãtias eo genere contineri, quarum multitudinem infrà inueſtigabit. Alexandri autem expoſitio probanda non eſt, qui cùm ſuperiora de primo mouẽte monſtrata eſſe cenſeat, hoc de aliorum orbium videlicet Saturno, Ioue, & aliis dici arbitratur. Sed non animaduertit, mouentem primùm ab aliis diuiſum fuiſſe, nec ſingulis ſphæris ſingulos mouentes adhuc aſsignatos. Cùm verò ratione vna ſubſtantiam illam æternam actum ſimplicem eſſe omnis potentiæ expertem Ariſtoteles probaſſet, aliam in his verbis adiicit, ſimúlque monſtrat, hanc ipſam ſubſtantiam materiâ vacare: quod ad priorem concluſionem demonſtrandam aſſumitur. ac illud quidem rectè. Nihil enim materiæ particeps eſt, quod idem potentiam admixtam non habeat, cùm materia id eſſe ab Ariſtotele definiatur, per quod eſſe & non eſſe res poteſt. Ac quemadmodum formæ eſſentia, actus eſt, ita materię, potentia, neque aliunde, quàm à materia prodire poteſt potentia, vt nec actum à re alia vlla, quàm à potentia, res vlla accipere. Quæ ergo materiâ vacant, ea ab omni potentia liberata eſſe neceſſe eſt. Porrò materiæ expertes haſce, de quibus diſputatio inſtituta eſt, ſubſtãtias ex earum ſempiternitate docet, quæ ratio ex ea, quæ allata eſt, materiæ definitione vim habet, quę quidem definitio in octauo huius operis traditur. Neque enim ſempiternæ eſſent, ſi è materia cõſtarent: quandoquidem materia rebus affert interitum, &, vt interdum eſſe deſinant, efficit. Quòd ſi quis cæleſtia corpora obiiciat, quę materia cõſtare, tum in priori huius libri parte, tum in octauo huius operis Ariſtoteles admittit, eadémque tamen ſempiterna eſſe in libris de cęlo demonſtrat, is ſciat, alterum materiæ genus ab ea, de qua nunc agitur, diuerſum diuinis illis corporibus ab Ariſtotele tribui. Eſt autẽ materia illa, nec generationi, nec interitui, nec vlli alij, quàm ei, quæ in loco fit,

mutationi obnoxia. Ita enim in hoc duodecimo ſcriptū eſt, Omnia quæ mutationem patiuntur, materiam habent: ſempiterna quoque ea, quæ generationem non habent, motúque eo, qui ad locum pertinet, ſolùm mouentur, eâdem conſtant: non tamen eâ, quæ gigni poſsit, ſed quæ delationi tantum ſubiiciatur. hęc ibi. Ex quibus planè intelligitur duo materiæ eſſe genera, quorum vnum cæleſtibus corporibus tribuatur. Cùm verò in cælo materia inſit, ne illa quidē (quanquā diuerſi ſit generis, & motui ſolùm in loco ſubiiciatur) in ſubſtātiis, de quibus diſſeritur, ineſt, ſed hoc in his verbis non monſtratur: in progreſſu autem monſtrabitur ratione, quæ ad omne materiæ genus accommodatur. Quod autem ait, haſce ſubſtantias ſempiternas eſſe, ſi aliquid quidpiam ſempiternū ſit, indicat, maximè omnium, quæ ſempiternæ ſunt, ſempiternas eſſe: quippe quæ cauſæ mouentes & efficientes ſunt, à quibus aliorum ſempiternitas pendet. Alexander verò bifariam hūc locum expoſuit, & neutro modo rectè. Primùm illud, ſi aliud ſempiternum eſt, ad motorem inerrantis ſphæræ retulit, vt ſenſus ſit, alios motores (de iis enim, vt antè docui, interpretatur) ſempiternos eſſe, ſiquidem & primus motor eſt ſempiternus, alterâ expoſitione ad vnitatem ſeptem ſphærarum accommodauit, vt dictum ſit, quoniam ſphærarum vnitas ſempiterna eſt, motores quoque ipſorum ſempiternos eſſe oportere. Sed palàm eſt de ſubſtantiis omnibus illis diuinis agi, nihílque adhuc ſeparatim de prima ex aliis traditum fuiſſe. Eo itaque modo, quo ſimpliciter interpretati ſumus, locus hic debet exponi.

Sed dubitatio exiſtit. Nam quicquid agit, poſſe, non quicquid poteſt, agere videtur: ita vt potentia ſit prior. At ſi res ita habet, eorum quæ ſunt, nihil erit: eſſe enim poſſe, nec dum tamen exiſtere contingit.

Id quod demonſtratum eſt ſubſtantiam aliquam ſempi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bro Ariſtoteles refutauit, & rationibus multis à vero aberrare eam oſtendit. hoc verò Ariſtoteli firmum eſt & inconcuſſum, poſſe rem agere, quæ tamen non agat, quemadmodum antea traditũ eſt, cùm ſubſtantiam ſempiternam, quam eſſe monſtrauerat, non vim ſolùm & potentiam agendi in ſe habere, ſed actu quoque agere, & in opere verſari docuit: quod monſtrare ſuperuacaneum fuiſſet, ſi quicquid poteſt agere, illud idem neceſſariò ageret. Illud tamen Ariſtotelis eſt placitum, in rebus æternis potentiam actui non præire, poſſéque & eſſe in illis minimè differre. In rebus autem, quæ oriuntur & occidunt, res ita non habet, ſed potentia actu prior ſit, neceſſe eſt.

Porrò ſi itá ſit, vt theologi inquiunt, qui ex nocte generant, aut vt phyſici aiunt, vniuerſa ſimul fuiſſe, idem impoſsibile conſequitur. Quo enim illa modo, ſi nulla actu aderit cauſa, mouebuntur? Nam neq; materia ipſa ſeipſa, ſed ars fabrilis profectò mouebit, neque item menſtrua aut terra, ſed ſemina & genitura.

Incommodum illud, quod conſequi, ſi potentia áctum antecedat, dicebatur: nempe eorum, quæ ſunt, nihil futurũ fuiſſe, tradit conſequi, ſeu res ita habeat, quemadmodum theologi aiunt, qui ex nocte, hoc eſt, ex ſimplici puráque priuatione, vel materia omnino informi & rudi, quæ rerum omnium generationi infinita ſæcula præiuerit, omnia generãt, hoc eſt, genita eſſe affirmant, ſeu à principio non priuatio quidem pura & materia prorſus informis, ſed confuſio quædam perturbatióque rerum, generationem earum, diſtinctionémque anteceſſerit, quemadmodum phyſici nonnulli opinantur. Horum enim opinionum vtranque, cùm actum vel priuatione illa, aut materia omnino informi, vel rerum confuſione antiquiorem non ponant, neceſſariò conſequi, vt nihil eorum, quæ ſunt in vniuerſo, quæque formis cernimus

diſtincta, exiſtere potuerit: ſiquidem potentia abſque actu moliente in actum erumpere non poteſt. Neque enim priuationem illam aut materiam informem, ſeu etiam confuſionem ſeipſam ad res efficiendas mouere potuiſſe, quemadmodum neque cæmenta, neque ligna nullo adhibito fabro aut architecto domum aliquam poſſe extruere, neque mẽſtruum fœminæ ſanguinem abſque maris ſemine fœtum aliquem procreare, aut terram ſolam abſque ſolis & aliarũ agentium cauſſarum virtute parturire, arboréſque ac ſtirpes progignere. Simplicem igitur & puram illam priuationẽ, ſeu nudam & informem materiam, aut rerum confuſionem perpetuò manere oportuiſſe, nec aliquid vnquam ex ea procreari potuiſſe. Itaque nihil eorum, quæ ſunt, futura fuiſſe. Per theologos autem veterrimos illos poetas, Orpheum & Heſiodum intelligit, qui carmine, vt videre licet, theologiam ſuam cõſcripſerũt. hi Mercurij Termaximi antiquiſsimi apud AEgyptios theologi doctrinam imitati, rerum omnium priuationem puram, hoc eſt, materiam prorſus informem ab omni æternitate mundi ortum anteceſsiſſe tradiderunt, eámque noctis atque chaos vocabulo adumbrarunt, vtpote in morem noctis obſcuram, nulliſque formis diſtinctam & ornatam, veluti chaos quoddam origo omnium rerum informis: è qua deinceps diuiſio formarúmque omniũ diſtinctio profecta ſit. Ita enim in Argonautica cecinit Orpheus:

Πρῶτα μὲν ἀρχαίου χάεος μελανήφατον ὕμνον
Ὡς ἐπάμειψε φύσεις, ὡς οὐρανὸς ἐς πέρας ἦλθεν,
Γῆς τ' εὐρυστέρνου γένεσιν πυθμένα τε θαλάσσης,
Πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν ἔρωτα,
Ὅσα τ' ἔφυσεν ἅπαντα διέκριθέν τ' ἄλλο ἐπ' ἄλλου·
Καὶ κρόνον αἰνολέτην. Et rurſus,
Ἀρχαῖον μὲν πρῶτα χάους ἀμέγαρτον ἀνάγκην
Καὶ κρόνον, ὃς ἐλόχευσεν ἀπειρισίοις ὑπὸ κόλποις
Αἰθέρα καὶ διφυῆ περιώπεα κυδρὸν ἔρωτα
Νυκτὸς ἀεὶ γενέτης πατέρα κλυτόν·

Heſiodus autem ex Orphei fontibus hauriens in Theogonia ita prodidit:

πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
γαῖ' εὐρύστερνος.

Ex his theologorum horum carminibus ſatis cõſtare poteſt, quid de chao & nocte, quorum Ariſtoteles meminit, cenſuerint. Phyſicorum autem vocabulo Anaxagoram, & qui eius placita ſecuti ſunt, indicat. ſiquidem illud ἦν ὁμοῦ πάντα χρήματα, quod hic recitatur, Anaxagoræ ipſius eſt, vt in primo huius operis licet videre. hos igitur phyſicos nominat, quòd mundi ortum etſi tradiderunt, intra tamen naturæ limites ſe continuerint: quippe qui non ex nihilo ſeu priuatione, ſed ex mixtione, in qua res omnes, tametſi perturbatæ, & nulla ratione inter ſe diſtinctæ ineſſent, mundum ortum tradiderunt. Vnde & ſecretione tantum quadam, non verò ortu res eſſe genitas Anaxagorã putaſſe multis in locis apud Ariſtotelem legitur, eóque etiam nomine reprehenditur. Illud verò mirabitur aliquis, quemadmodum verè dici poſsit, hoſce phyſicos, & eos, qui memorati ſunt, theologos, omni actu potentiam priorem ſtatuiſſe, ob eámque cauſam illud, quod dictum eſt incommodum nihil eorum, quæ ſunt, futurum fuiſſe, eorum conſequi ſententiam. Nam quanuis res, quæ genitæ ſunt, & in lucem editæ, priuſquam gignerentur, ſeu in nocte, ſeu in chao, aut miſtione potentiâ fuiſſe, & Orpheus, Heſiodúſque & Anaxagoras ſenſerint, actum tamen ſeu mouẽtem cauſam, quæ potentiâ illâ poſterior non eſſet, ante rerum ortum ſtatuerunt, eiúſque munus eſſe id voluerunt, vt ex illa potentia in actum res educeret, chaóſque illud & miſtionem diſtingueret. Ac Orpheus quidem in primis ante mundum conditum Iouem fuiſſe teſtatur, in cuius pectore diuino atque palatio vera mundi origo latitaret, ita enim canit:

οὕνεκα σὺν τῷ πάντα Διὸς πάλιν ἐντὸς ἐτύχθη
αἰθέρος εὐρείης ἠδ' οὐρανοῦ ἀγλαὸν ὕψος, & cætera quæ ſequũtur.

Quibus in verbis omnia commemorãs, quæ ſunt in vniuerſo, quæque oculis ſpectantur, cæli videlicet præclaram ſublimitatem ætheris vaſtitatem, immenſi maris, tellurí ſque latitudinem, Oceani magnitudinem, terræ depreſſa tarta-

ra, fluminá que & immortales omnes beatos deos deáſque, & omnium quæ orta ſunt, & quæ orientur in ventre Iouis, antea habitaſſe præclarè admodum tradit. Itaque conſtat diuinitatē vetuſtiſsimo nomine Iouem appellatam, Orphei ſententia mundi ortum anteceſsiſſe: quæ omnia è mundo illo formarum rationúmque locupletiſsimo, quem in ſe habebat, depromſerit. In carminibus etiam paulò antè ex Argonautica commemoratis, Amorem creatorem Orpheus ſtatuit. Cuius doctrinam Heſiodus imitatus, tria facit mundi ortus principia, chaos, terram & amorem: húncque creatorem eſſe aſſerit, qui non cum rebus ſit ortus, ſed terræ & chao incubans, omnia ex illis eduxerit. Anaxagoras autem mentem ſtatuit, quæ illam rerum miſtionem, in qua ineſſe arbitrabatur, ſecerneret, réſque omnes in lucem proferret. Quocirca in primo huius operis inter philoſophos, qui cauſam rerum agentem mouentémque tradidiſſent, numerantur, &, quòd, eiuſmodi cauſam poſuiſſent, commendantur. ita verò legitur. Quidam ergo mentem cùm mundi, ac vniuerſi ordinis cauſam eſſe, perindéque naturæ ac animalibus ineſſe dixerit, inter priores illos vana dicētes quaſi ſobrius habitus eſt, atque Anaxagoram quidem manifeſtò hos ſermones attigiſſe nouimus. Hermotimum autem Clazemenium hoc prius dixiſſe ferunt. hi igitur ſic exiſtimantes cauſam bene habendi ſimul principium eſſe rerum & talem cauſam poſuere, vnde principium motus exoritur. Primùm autem Heſiodum idipſum quæſiſſe quiſpiam ſuſpicabitur, etſi quis alius amorem aut cupiditatem in hiſce, quę ſunt vti principium, poſuit, quemadmodum eſt Parmenides. hic enim generationē tradens vniuerſi, ait:

πρῶτον μὲν ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.

Et Heſiodus:

πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ᾽, &c. quæ antea commemorauimus. hæc igitur ſi (ipſo etiam Ariſtotele fatente) ita habeant, mouentémque cauſam & Heſiodus & Anaxagoras ante mundi ortum poſuerint, abſurdum alicui videri poſſet id, quod nunc traditur, illud incommodum, quod antè col-

lectum eſt, horum virorum ſententiam ſequi. ſiquidem falſum eſt, nullam fore cauſam, quæ mouere chaos illud, & è priuatione res gignere valeat: præſertim cùm Ariſtoteles ad docendum, poteſtate omni actum aliquem prioré eſſe, Anaxagoræ, qui mentem poſuit, paulò pòſt, teſtimonio vtatur: niſi dicamus ad id Ariſtotelem reſpexiſſe, quòd nulla earum, quæ ab illis, vt cauſæ mouentes ponebantur, ſeu amor eſſet, ſeu mens, ſeu diuinitas, verè actus aut moués cauſa dici poſſet. Nam quæ illius actus eſſet natura, qui infinitis ætatibus otio veluti marceſcens nihil egiſſet? Actus enim naturâ ſuâ dicitur illud, quod perpetuò in actione verſatur, & ab ea ne minimum quidem temporis deſiſtit. A quiete præterea ad nouam molitionem mutari has cauſas oportebat, quare non ſimpliciter actus eſſe poterant, quippe quæ poteſtate antefuiſſent, & ab alia cauſa immutatæ. Nullam igitur hac fortaſſe de cauſa earum, quæ ab Heſiodo & Anaxagora cauſarum poſitę ſunt, rationem Ariſtoteles habuit. Anaxagorę autem teſtimonio in progreſſu vtitur. quod etſi ipſi Anaxagoræ ſimpliciter actus mens eſſe non poſſet, quippe quam otioſam & à motione vacantem tot ſęculorũ ætates poſuiſſet, reipſa tamen verè & natura ſua eſt actus, quæ ab actione minimè deſiſtit, quẽadmodũ infrà docebitur. Alexander Aphrodiſeus non Anaxagorã hoc in loco reprehẽdi, ſed alios quoſdam phyſicos arbitratur, his argumentis, quæ attuli adductus: quod nullo modo poteſt concedi, ſiquidem ipſius Anaxagoræ verba Ariſtoteles cõmemorat. Ac de his ſatis. Quæ autem de materia hîc traduntur, eius naturam pulchrè declarant, quæ ſola eſt potentia, nullámque vim in ſe habet efficientem, cùm non ſecus eius ſit pati, atque formæ agere.

Hanc òb cauſam actum ſempiternum quidam faciunt vt Leucippus & Plato: motum enim ſemper eſſe inquiunt, etſi nec quamobrem, aut quinam, nec modum, nec cauſam tradunt: motu nanque nihil temerè cietur, ſed aliquid ſemper adſit,

neceſſe eſt, quemadmodũ nunc naturâ quidẽ hoc modo, vi autem aut à mẽte, ſeu ab alio, alio modo. Præterea cuiuſmodi ſit primus. magnopere enim id refert. At neque Plato dicere id poteſt, quod interdum cenſet principium eſſe, id videlicet quod ſe mouet. Poſterius enim eſt, animáque (vt ait) vna cum cælo.

Vt incommodum illud quod veterum theologorum, qui ex nocte, hoc eſt, pura priuatione, & phyſicorum, qui ex miſtione mundi ortum tradiderunt, ſententiam conſequi expoſitum eſt, Leucippus & Plato deuitarẽt, actum ſempiternum (inquit Ariſtoteles) induxerunt, quippe qui motũ, qui actus eſt, ſemper eſſe voluerunt: quanquam quis eſſet motus ille, in orbémne, an rectus, quamobrem fieret, eiúſne cauſa aliqua eſſet, an temerarius & fortuitus, etſi cauſam haberet, naturâ aut vi quadam efficeretur, an conſilio potius & deliberatione & alia eiuſmodi omnia, quę neceſſariò eis erant explananda, reticuerunt. Quoniam autem Plato motus cauſam videtur reddidiſſe, nempe animam mundi, quam ſe mouere, ob eámque cauſam motus fontem ac principium eſſe exiſtimauit, ne hoc quidem Platonẽ tueri poſſe Ariſtoteles ſubiicit, quandoquidem mundi animam cum cælo natam Plato ponit. Ita vt motus ſempiterni principium eſſe non poſſit. hæc de Platone & Leucippo breuiter dicuntur. Ex quibus qua ratione ac modo motum ſemper eſſe cenſuerint, & quemadmodum ea, quæ commemorantur prætermiſerint, haudquaquam intelliguntur: quapropter nonnulla ſunt adferẽda, per quæ horum virorum de motus æternitate opinio innoteſcat. Principio, quòd ad Platonẽ attinet, motum eum Ariſtoteles reſpexit, quo materiam antequam mundus gigneretur, fluctuantem ſe agitaſſe, atque inordinatè iactaſſe in Tymæo eſt traditum, ita enim eo in loco legitur. Cùm vellet Deus omnia bona fore, nihil verò, quoad poſſet, malum: quicquid erat, quod oculorum aſpectui pateret, aſſu-

mens non tranquillum aut quietum, ſed fluitans ac temerè agitatum, ex inordinata iactatione in ordinem redegit. hoc enim præſtantius eſſe indicabat. hæc ibi. Quæ cùm Ariſtoteles nudè & ſimpliciter intelligeret, exponerétque, mundum in tempore ortum eſſe, materiámque infinitis antea temporibus temerario iactatam motu ad ipſum mundum fabricandum ab opifice aſſumptam, Platonem tradidiſſe exiſtimauit. De quo quidem materiæ motu cùm nihil Plato tradidiſſet, quod eius explicaret naturam, eum arguendi occaſionem Ariſtoteles arripuit. Itaque ait, nec quis eſſet ille motus eum tradidiſſe, hoc eſt, rectúſne, an in orbem, an potius ex vtroque miſtus (tot enim ſunt motus genera) nec quamobrem fieret, hoc eſt, quis eius eſſet finis, cùm nihil temerè motu cieri, nullus rei aut finis gratia credatur, non item cauſam efficientem & modum, hoc eſt, naturáne an vi, an conſilio & mente (ſiquidem tot modis, à totidémque cauſis motus fit) efficeretur. Quæ tamen omnia ab eo, qui de motu diſſerebat, eúmque ſempiternum ſtatuebat, explicari erat neceſſe. Nullam etiam ait primi motus mentionem eum feciſſe, hoc eſt, an motus ille materiæ inordinatus, primus eſſet, nécne, quod tamen cognoſcere plurimum refert. Atque id quidem nos eo diſcimus, quòd octauus Phyſicorum tam prolixam de eo diſputationem continet. Magni etiam videtur intereſſe rectáne, an in orbem motus ille efficiatur, cùm illorum alter continens & perennis eſſe poſsit, alter minimè. Illud quoque magnum momentum in ſe habet, cauſam efficientem & modum, quo agit, cognouiſſe. Alio enim modo naturâ res mouentur, alio vi, alio mente & conſilio, neque eodem omnia. Lapis nanque in inferum locũ naturâ fertur, externa vi & pulſu in ſuperum: ignis contra ad terram vi trahitur, naturâ in ſublime euectus. Ea etiam quæ mente, vt homines, vel phantaſiâ, vt bruta, mouẽtur, non eandẽ cum aliis, aut etiam inter ſe motionis habent rationem: neque enim homines & cęteræ animantes vni cuipiã motus generi, vt res cæteræ addictæ ſunt, cùm modò ſurſum, modò deorſum, modò ante verſus, modò retro, nunc ad dextrã, nunc ad læuam, prout mens vel phan-

taſia ea moderatur & regit, moueantur. Addit verò Ariſtoteles, non poſſe Platonem motus ſempiterni principium & cauſam animam mundi ponere, propterea quòd eam motu illo poſteriorem,& vnà cum cælo ortam conſtituat,vt nullo modo is motus,qui mundi ortum ſæcula innumera anteceſſerit,à principio, quòd cum mundo ortũ eſt,poſsit oriri. Nec verò aliquem turbet,quòd animam non cum mundo ortam, ſed ipſo antiquiorem tum ortu,tum virtute in Tymęo Plato inquiat.ſiquidem fieri poteſt,vt vnà cum mundo ſit orta, eadémque tamẽ ortu antiquior ponatur, quatenus ab ea mundi ortus inchoauit. Quemadmodum fundamẽtum vnà cum tecto fieri,ſi nullum ſit inter vtriuſque fabricationem interuallum,dicitur,quod tamen tecto antiquius eſſe,priúſque iactum nemo non nouit. Quod autẽ dicitur animam ſeipſam mouere, Platonis eſt vulgatum placitum, quod dialogorum ſuorum multis in locis legitur,atque ab Ariſtotele in primo de Anima tanquam falſum refellitur. Atque hęc ſatis de Platonis reprehenſione, à qua ſi vindicare eum aliquis velit, ad id confugiat neceſſe eſt, quod Iamblicus, Porphyrius, Plotinus,Proclus,& alij docti Platonici,de mundi ortu ſempiterno ex Platonis ſententia ſenſerunt. Hi omnes mundum non in aliquo temporis principio ortum eſſe, quẽadmodum Plutarchus,Atticus,& ex Platonicis alij quidam, prӕterea Ariſtoteles Timæi verba ſimpliciter intelligentes exiſtimarũt, ſed ſempiternum, genitum tamen, & ab opifice fabricatum, vel (vt verius dicamus) gigni & fabricari,non in aliqua temporis parte,ſed in omni ſempiternitate ab illo prodeũtem & manantẽ,non ſecus atque à ſole ſplendor eius perpetuò prodiit & prodibit. Id ſi ita habet, materia temerario inordinatóque motu iactata infinitis temporibus mundi ortum antecedere non potuit, quemadmodum Ariſtoteles,& poſt eum Atticus,in quem Proclus inuehitur,putarunt. Quod autem, quaſi anteceſſerit, à Platone deſcribitur, propterea factum eſſe exiſtimant nonnulli, vt illius natura abſque ornatu omni & diſtinctione perſpecta, quid ab opifice atque anima accepiſſet,cognoſceretur: alij,vt generationis mundi perpetuæ,

atque continentis ordo fieret manifeſtus, quando non perturbatè, neque eodẽ modo, ſed ordine quodam ſingulis naturis accommodato (quanuis ſimul) ab opifice omnia prodeant. Materiam enim ita, ac vniuerſum ipſum genitum eſſe Platonem velle, cùm id omne genitum ponat, quòd ſub oculorum aſpectum cadit, qualem etiam eſſe materiam voluit, vt Tymæi, quę ſuperius allata ſunt, verba indicant. Itaque nullum motum ſempiternũ eſſe dixerit aliquis, cuius Plato nec ſpeciem ſeu formam, nec finem, nec efficientem cauſam tradiderit. Motus enim ſempiterni, quo vniuerſum cietur, & ſpecies, & finis, & efficiens cauſa in Timæo traduntur. Species quidem conuerſio, vtpote menti, à qua proficiſci ſtatuitur, accommodata atque ſimillima: finis, diuina bonitas: efficiens autem, mouénſque cauſa, mens atque anima: eius quippe vi & efficientia cæleſtes orbes, & illi quidem diuerſis motibus in orbem perpetuò ferũtur. Quod Platonem explicaſſe volunt, cùm in ortu animæ tradidit opificem lineam aſſumpſiſſe, illámque duas in partes fidiſſe: quas cùm in quoſdam torſiſſet orbes, alterum exteriorem, alterum interiorem feciſſe: exteriorem, quem ad dextrum ferri voluit, eiuſdémque naturæ appellans: interiorem verò, quem ad læuam, alterius. hanc igitur animæ conſtitutionem, vim illius efficiẽtem, qua duplici motu ad dextram & ad læuam, hoc eſt, ad ortũ & occaſum, cæleſtes orbes perpetuò ciet, indicare. Eſt enim primi extimíque orbis motus in dextram eiuſdem naturæ, hoc eſt, æquabilis, ſibíque ſemper ſimilis: planetarum autem, qui eſt interior, naturæ alterius ac diuerſæ, hoc eſt, ſibi diſsimilis in læuam. Ita cùm ſempiternum vniuerſi motum Plato ſtatuerit, ſimul efficientem eius cauſam, ſpeciem & finẽ tradidiſſe. hoc autem motu vniuerſi alium nullũ tempore priorem poſuiſſe. Quare neceſſarium non eſſe, vt eius principium & cauſa anima ponatur. Animam porrò ipſam vnà cum cælo ortam, aut ortu & virtute antiquiorem dici, non quòd in quodam temporis initio vnà cum cęlo orta ſit, aut quòd certo aliquo temporis interuallo (quemadmodum Atticus cenſet) mundani cæleſtíſque corporis ortum illa anteceſſerit, ſed

quoniam & animâ & mũdo in omni ſempiternitate ab opifice ordine quodam prodeuntibus, anima præſtantior gignitur. hunc in modum aliquis Platonem fortaſsis tuebitur, huius rerum vniuerſitatis ſempiternitate conſtituta. Sed hæc Ariſtoteles non acciperet, qui Platonis verba nudè & ſimpliciter, atque, vt ſignificare apta ſunt, intelligit. Ea verò mundum aliquando ortum, & illum quidem ex materia fluitãte & motu temerario iactata & vnà cum mundo animam, etſi ab ea ortus initium ſumptum ſit, declarant. Quid autẽ Plato ortu illo ęnigmaticè ſignificauit, Ariſtoteles non multum curauit, quippe qui cenſeret de rebus naturæ apertè propriíſque vocabulis non ænigmaticè & fabuloſè philoſopho eſſe diſſerendum. Qua eadem via ingreditur, cùm eius alia placita, vt de ortu elementorum ex planis, de animæ conſtitutione ex numeris, reprehendit. nec ſecus cùm Parmenidis & Meliſsi de vno ente immobili ſententiam, cùm item Empedoclis concordiam atque diſcordiam. De qua re in Cõmentariis de Naturali auſcultatione copioſius diſſerui. Niſi fortaſſe dixerit aliquis, ſi mundum ortum materiámque ſæcula innumera agitatum, illi ſubiectam fuiſſe ex Platonis ſententia, vt eius indicant verba, cenſeamus, modum etiam aliquem relinqui, quo ab Ariſtotelis reprehenſione defendatur. Nam & motus ſpeciem Platonem explicaſſe, & cauſam efficientem ſeu modum: ſpeciem quidem cùm materiam temerè agitatam ac fluitantem, ex inordinata iactatione in ordinem redactã docuit. his enim verbis doceri non rectum eſſe, nec in orbem, ſed permiſtum perturbatúmque: iíſdem verbis non violentum, nec à mente prodeuntẽ tradidiſſe, quòd & nihil adhuc eſſet, quod vim afferret, & mentem ſeu animam ſummus ille parens nondum genuiſſet: illi potius materiæ, ſeu rudi & indigeſtæ moli cognatũ ac naturalem fuiſſe: rei nanque inordinatæ motum inordinatũ naturâ conuenire: at verò finem eius nullum fuiſſe, cùm temerè materia agitaretur. hæc igitur fortaſſe pro Platone aliquis attulerit. quæ, vt verum fateamur, nec magnum in ſe habent momentum, nec ſatis eum à reprehenſione vindicant. Neque

enim permiſtus vllus motus eſſe poteſt, niſi ſimplices fuerint, è quorum admiſtione oriatur, vt in rebus, quæ ex elementis admiſtæ ſunt, cernimus. Simplices ergo motus, cùm nondum eſſent, vtpote elementis & cælo, quorum ſunt proprij, non exiſtentibus, ſed materia ſolùm informi, admiſtus nullus eſſe poterat. ſed nec informis materia motu cieri apta eſt, cùm actu ſit oporteat id quod mouetur: vt autē moueri poſſe cōcederetur, cauſa mouens aſsignāda erat: quandoquidem materia ſe non mouet, vt exemplis tum in natura, tum in arte antea oſtēſum eſt. Atqui & temerè ſeu fortuitò agitatam, ſi naturaliter mouebatur, materiam fuiſſe valde abſurdū eſt, quòd temerariū fortuitúmque nihil natura moliatur. Sed de Platone ſatis. Iam ad Leucippum venio, qui ſempiternū atomorum motum poſuit, quarum numerum vímque infinitam in hac longitudinum, altitudinum, latitudinum immenſitate perpetuò volitare, atque interiecto inani inter ſe cohęreſcentes, has rerum, quas videmus, formas & figuras efficere exiſtimauit. De qua Leucippi opinione multa licet videre cùm apud Ariſtotelē ſparſim, tum verò optimè apud Lucretiū, qui Epicuri phyloſophiam magna ex parte à Democrito & Leucippo acceptam carminibus pulchrè decantauit. Ariſtoteles inter cætera loca in tertio de Cælo, hanc illorum ſententiam commemorat, & eiuſdem, cuius hic, rei eos coarguit. Quocirca, inquit Democrito & Leucippo, qui prima corpora tempore infinito ſemper moueri aiūt, dicendum erat, quo motu, & quis corporum illorum eſſet motus naturalis. Lucretius autem in primo ſui poematis ita canit:

Sed quoniam docui ſolidiſsima materiai
Corpora perpetuò volitare inuicta per æuum,
Nunc age ſumma audi, quæ nam ſit finis eorum.

Rurſus in ſecundo:

Quapropter quo nunc in motu principiorum
Corpora ſunt, in eodem anteacta ætate fuere,
Et poſthac ſemper ſimili ratione ferentur.

Hæc Lucretius. ſed illud eſt animaduertendum, quanquam Leucippus ſpeciem motus atomorum cauſámque effi-

cientem prætermiſerit, Epicurum tamen non prætermiſiſſe: naturâ enim propriis momentis atomos deorſum ferri, atque aliquo modo declinantes continenter per inane agitari, hunc in modum cecinit Lucretius:

Illud in his quoque te rebus cognoſcere auemus,
Corpora cùm deorſum rectum per inane feruntur
Ponderibus propriis incerto tempore fermé,
Incertíſque locis ſpatio decedere paulum
Tantum, quod minimum mutatum dicere poſsis.

Cauſam etiam reddit, cur vario & aſsiduo motu corpora illa agitentur, cùm motione illâ res omnes progigni atque reſolui hic tradit:

Nunc age quo motu genitalia materiai
Corpora res varias gignant, genitáſque reſoluant,
Et qua vi facere id cogantur, quæue ſit ollis
Reddita mobilitas magnum per inane meandi,
Expediam.

Putare igitur, actui potentiam anteire, partim quidem rectè habet, partim non rectè. Quo autem modo dictum eſt. Actum verò potentiâ priorem eſſe Anaxagoras teſtatur. Mēs enim eſt actus. Empedocles item amicitiam & litem, ij denique omnes, qui motum ſempiternum eſſe aiunt.

Quoniam potentiam actu priorem eſſe ratione vnâ antea monſtratum eſt, tum oſtenſum incommodum, quod ex eiuſmodi concluſione ſequebatur, nempe eorum, quæ ſunt, nihil futurum fuiſſe, & illo quidem incommodo affectos eſſe, tum theologos, tum phyſicos quoſdam, Leucippum verò & Platonem, eius vitandi gratiâ, actum ſempiternum ſtatuiſſe, vtro modo res ſe habeat, potentiámne actus antecedat, an potentia actum, his verbis exponit, vt id, quod tradebatur, ſubſtātias à materia ſeparatas, actus quoſdam eſſe potentiæ planè expertes, verum eſſe tandem pateat. Eſt autem

hæc de actus & potentiæ anteceſsione in nono huius ſcientiæ libro quæſtio pertractata, quo in loco ea totius diſputationis fuit concluſio, in rebus ſingulis, quæ oriuntur & occidunt, tempore potentiam anteire, actum ſubſequi. Simpliciter autem potentiâ omni actũ aliquem priorem eſſe, qui potentiam illam ad actum ducat: quippe cùm ad actum, ex potentia adduci, niſi per alium actũ, nihil poteſt. Quod exemplo ita illuſtratur. Socratis forma, potentiâ prius fuit, quàm actu, alium tamen actum præceſsiſſe oportuit, videlicet Sophroniſcum, qui formã illam Socratis è potẽtia in actũ educeret, alioquin Socrates potentiâ ſemper fuiſſet, & nunquam actu. hac verò potentiæ & actus diſtinctione, cùm aliis in locis, tum maximè in tertio de Anima Ariſtoteles vſus eſt, cùm mentem, quæ potentiâ eſt, eam, quæ actu eſt, in hominibus ſingulis antecedere, ſimpliciter autem poſteriorem eſſe docuit. Quod ita habet: ſiquidem diſcipuli mentem potentiâ prius intelligentem eſſe, quàm actu neceſſe eſt, quæ tamen ad actum, vt actu intelligeret, non duceretur, niſi alia quæpiam mens, vt præceptoris, anteiret. hoc igitur eſt, quod Ariſtoteles monet, potentiam actui præire, partim quidem rectè ſe habere, partim non rectè. Rectè enim in ſingulis rebus, quæ oriuntur & occidunt: ſimpliciter non rectè, quandoquidem actus aliquis antecedat neceſſe eſt, qui potentiam omnem ad actum deducat. Ac eouſque quidẽ anteeat oportet, quo ad actus eius attingatur, quod ſemper primùm mouet, quod ſempiternum cùm ſit, actu ſemper eſt, potentiáque vacat: ita vt in eo neceſſarium non ſit, potentiam actui anteire, quẽadmodum in eis, quæ, cùm oriri & interire apta ſint, eius efficientiâ, cùm ſunt poteſtate, in actum ducuntur. Ita de ſubſtantia ſempiterna, de qua diſputatio inſtituta eſt, quæſtio tollitur. Neque enim neceſſe eſt, imò verò fieri non poteſt, vt illa potentia, ſeu patiendi, ſeu agendi actum eius vllo modo antecedat: quandoquidem id ſolis, quæ oriuntur & occidunt, conuenit, quæ potentiâ prius eſſe & agere, quàm actu ſint, aut agant neceſſe eſt. Porrò ſempiternorum & ſimpliciter immortalium nihil ſimpliciter potẽtiâ eſſe in nono,

quem commemorauimus,docet,ita, vt nec motus, qui ſempiterno tempore efficitur, potentia eſſe poſsit, non item ſi quid perpetuò mouetur, niſi ea ratione, qua ex hoc in hunc terminum mouetur, eámque ob cauſam ſolem & aſtra, totúmque cælum perpetuò operari & moueri, nec pertimeſcendum eſſe, ne tandẽ ſtent moueríque deſinant,quod phyſici quidam pertimuerunt. Ita igitur perſpicuum eſt actũ potentiæ ſimpliciter anteire, nec illud ſequi incõmodum,quod antea colligebatur. hoc verò multorum teſtimonio (qui eius poſt demonſtrationes allatas mos eſt) cõfirmat. Ac primũm quidem Anaxagoræ, tum Empedoclis, deinde eorum, qui ſempiternum motum ſtatuerunt, quemadmodum Leucippus. Anaxagoras enim,cùm illam rerum omnium confuſionem à principio fuiſſe cenſuiſſet, mentem antiquiſsimam adhibuit illius permixtionis prorſus expertem, quæ rebus omnibus inter ſe diſcretis, hanc, quam videmus, mundi pulcherrimam faciem exornauit. Sed illud dubium adfert, quòd Anaxagoram incommodum illud conſequi antea tradiderit: quoniam omnia ſimul fuiſſe initio poſuiſſet, actu nullo conſtituto, qui ex illa admiſtione res ſegregaret. Niſi dicamus, quemadmodum tunc diximus, mentem ab Anaxagora poſitam quidem fuiſſe, ſed otioſam,nihílque infinito tempore agẽtem, itaque actum,quatenus otio indulgebat,re vera non fuiſſe. hunc verò actum dici,quòd re vera ſit actus, & in actione perpetuò verſetur, quanquam Anaxagoras otioſam eam poſuiſſet. Ita Anaxagoræ teſtimonio ad id ſolùm vtetur, vt doceat actum potentiâ priorẽ ab eo poſitum fuiſſe, quatenus mentem, quæ natura ſua actus eſt,poſuit. Empedoclis teſtimoniũ magis accõmodatum videtur, quippe qui actũ induxit,in actione ſemper verſantẽ,& omni potẽtia priorẽ. Eum cõcordiæ & diſcordiæ nominibus ob effectuũ differẽtiã appellauit. Nam viciſsitudine perpetua fieri ab eo interimíq; mũdũ credidit. ac quatenus quidẽ eum ad mũdũ fabricandũ adhibebat,diſcordię nomine vocauit,quippe quæ elementa in vnũ confuſa inter ſe diſtingueret, ac veluti odiũ inter ea diſſeminaret. Quatenus verò interitus mũdi cauſa erat:

cōcordia nominauit, elemētis mutuo amore inter ſe coeūtibus. Nihil verò aliud eſt illud vnū, q̄ in Coſmopœia tam pulchrè carminibus cecinit: cuius Ariſtoteles in tertio libro huius operis mentionem faciens, amicitiam eſſe dixit, vt quæ omnibus, quare vnū fiant, ſit cauſa. In libello etiam de mundo ipſius Empedoclis carmina retulit, quibus ab illo vno effecta eſſe canit:

πάνθ' ὅσα τ' ἦν ὅσα τ' ἐστὶ, ἠδ' ὅσσα τ' ἔσαι ὀπίσσω, &c.

Non ſemel autem, vt Anaxagoras, mundum ortum ponit, ſed infinitè, certo quodam tempore elemētis inter ſe diſtinctis, & hunc ornatum rebus omnibus habentibus, alióque certo temporis interuallo iiſdem in vnum coeuntibus, & ita viciſsim perpetuò, vt actus ille ab actione nunquam ceſſaret. Quod idem Leucippo euenit, aliiſque omnibus, qui æternum motum conſtituunt: quandoquidem motus actus eſt quidam, qui à motore actu proficiſcitur.

Tempore itaque infinito, neque chaos, neque nox fuit: verùm eadem ſemper, aut circuitu, aut alio modo, ſiquidem actus potentiâ eſt prior.

Ex actus ſempiternitate, quam conſtituit, atque etiam ex eo, quod tradidit, actum potentia priorem eſſe, colligit, nec chaos, hoc eſt, admiſtionem illam confuſionémque rerū ab Anaxagora excogitatam, nec noctem, hoc eſt, puram, rerum priuationem, materiámque prorſus informem, quam etiam chaos veteres theologi nominarunt tempore infinito antea cto fuiſſe: ac id quidem rectè. Quo modo enim, ſi actus potentia eſt prior, iſque ſempiternus, illa rerum omnium, ſeu in chao, ſeu in nocte potentia infinito tempore eſſe ponitur? eo certè quod ſemper fuit, nihil prius eſſe poteſt. Quamobrem, ſi nox aut chaos ſempiterno fuerunt tempore, neutro illorum priorem actum ponere poſſumus. Quare ſi prior ſit, vtrunque illorū tollatur neceſſe eſt. Nec verò chaos aut nox vnà cum actu æternitate prædita eſſe poterant. Quæ enim (vt antea tradidimus) illius actus fuiſſet naturâ, qui infinito tempore ab actione omni vacaſſet? Illud nanque naturâ ſuâ actum eſſe dicimus, quod agit perpetuò, neque otio mar-

ceſcens ab actione vnquam deſiſtit. Cùm ergo nec chaos, nec rerum priuatio tempore æterno fuerit, ſed potẽtiam omnem actus aliquis anteceſſerit, omnia, quæ ſunt, ſemper fuiſſe Ariſtoteles ſubiicit. Quod quidem neceſſariò conſequitur. niſi enim ea, quæ ſunt, ſemper fuerint, orta eſſe aliquando oportebit: Ita aut nox, aut chaos ante eorum ortum ponetur. quæ cùm initium nullum habere queant, infinito tempore anteceſſerint neceſſe eſt. hæc ergo, ſi non fuerunt, ſemper fuiſſe ea, quæ ſunt, manifeſtè colligitur. Semper autem (inquit) aut circuitu, aut alio modo. Neque enim eadem numero ſemper fuerunt: quippe cùm omnia præter cælum perpetuò oriantur, viciſsímque intereant. Sunt autem duo (vt patet) modi, quos Ariſtoteles attingit, quorum altero rerum ortus & interitus viciſsitudinem perpetuò fieri neceſſe eſt. Vnus eſt Empedoclis, qui, vt paulò antè monuimus, in eiúſq; poemate legitur, mundum hunc infinitè genitum, & per ſtatuta temporum interualla infinitè interiiſſe arbitratur. oriri autem ex primorum corporum, ignis, aeris, aquæ, & terræ perfecta inter ſe diſiunctione, quam diſcordia efficiat, poſtquam corpora illa diuturnum quoddam tempus vi & efficientiâ amicitiæ inter ſe confuſa fuerunt, & permixta. Ita verò diſtinctum à diſcordia & perfectum mundum, longum aliud interuallum, ac eouſque manere, quo ad elementa proprias relinquentia ſedes, ad priorem illam confuſionem per concordiam permiſta redeant. hoc verò cùm ſemper factum fuiſſe putet, omnia, quæ nunc ſunt, conſeruata ſemper fuerunt, conſequitur. Alter proprietatis rerum modus is eſt, quẽ ipſe Ariſtoteles, vt veriorem & probabiliorem approbat, & ſequitur, videlicet omnia, quæ nunc ſunt, eò ſemper fuiſſe, quòd elementorum partes, réſque ex illis conſtitutæ viciſsim ortæ ſemper fuerint & occiderint, oriantúrque & occidant, vt quaſi circulus quidam ex eorum ortu & interitu perennis efficiatur. Nullum etenim elementorum quanuis vniuerſum intereat, ex igne tamen aer, & ignis ex aere perpetuò gignitur. quod ipſum, aliis quoque elementis, & his etiam, quæ ex illorum conſtant admiſtione, euenit, cùm ex homine

ſemen, & ex ſemine homo oriatur. hic rerum circuitus & quaſi quidam curſus, qui apertè in rebus omnibus cernitur, omnia ſemper fuiſſe, ſempérque non numero, ſed ſpecie eadem renaſci teſtatur. De quo rerum circuitu in ſecundo de ortu & interitu copioſè diſſeruit, & huius rerum viciſsitudinis hanc cauſam reddidit, vt videlicet cùm mortales eſſent & caducæ, nec perpetuò poſſent conſiſtere, perpetuitatem ea ratione conſequerentur. Cùm igitur hìc ait, eadem ſemper fuiſſe, aut circuitu, aut alio modo, circuitum ad propriam ſententiam videtur retuliſſe: alium autem modum (quanuis & ille circuitus eſt) ad Empedoclem, Alexander Aphrodiſeus modo contrario exponit, quippe qui circuitum Empedocli accommodat, alium modum Ariſtoteli. Quam expoſitionem non probo, quòd in verbis, quæ mox ſequuntur, circuitum tanquam proprium Ariſtoteles ponat. Illud verò animaduertendum eſt, quæ contra noctem & chaos pro rerum ſempiternitate allata ſunt, noſtræ quoque religionis de mundi ex nihilo procreatione, placito aduerſari. Sed theologi noſtri negãt ſempiternum actum vnà cum nocte, hoc eſt, rerum pura priuatione eſſe non potuiſſe: quinimo eum ſtatuunt, Deum videlicet optimum, maximum, & eum quidem non otioſum, aut ab actione vacantem: quandoquidem perpetuò in ſua ipſius intelligẽtia, quæ propria eius eſt actio, verſatur.

Porrò ſi circuitu ſemper idem, aliquid, quod vno eodémque modo agat, maneat ſemper neceſſe eſt. At ſi rerum ortus interitúſque futurus ſit, aliud quippiã, quod alio alióque modo agat, ſemper ſit, oportet. Neceſſarium itaque eſt, vt per ſe hoc modo, illo verò per aliud in opere verſetur. Aut ergo per aliquid diuerſum, aut per id, quod primum eſt, ſed per hoc neceſſe eſt. Rurſus enim illud, & ipſi cauſa eſt, & illi. Reſtat igitur per pri-

mum. Illud nanque cauſa eſt, vt eodem modo in omni æternitate, vt autem aliter, aliud, at vt perpetuò aliter, vtrunque. hoc itaque eodem modo & motus ſe habent.

Circuitum, rerum ortus & interitus viciſsitudinem, earumdémque reditum eſſe, proximè expoſui. Non quidē eum, quem Empedocles ſtatuebat, ſed elementorum inter ſe, aliarúmque etiam rerum ex illorum admiſtione genitarum mutuum ortum & interitum. Ex hoc circuitu, qui manifeſtè in rebus cernitur, duas mouentes cauſas, duóſque ab illis prodeuntes motus, qui eum perficiant, in omni æternitate eſſe colligit, vt tandem perſpicuum ſit, ſubſtantias illas ſempiternas, de quibus in hoc libro diſputatio eſt inſtituta, eſſe, eáſque perpetuò in actione verſari, ab omni motu & materia liberatas. hæc verò, vt planius intelligantur (ſunt enim ſtrictim, & obſcurè admodum hìc tradita) dilatanda ſunt, idque totum, quod in ſecundo libro de Ortu & interitu quo in loco de hac eadem re fuſius & planius diſſeruit, legitur, repetendum, explanandúmque. Ariſtotelis itaque eo in loco ſententia eſt, ortus & interitus ſeriem atque viciſsitudinem duplici motu cęleſti perpetuari, à quorum vno ortuum & interituum varietas & viciſsitudo pendeat: ab altero, varietatis eius & viciſsitudinis, perpetuitas atque conſtantia. Ac illum quidem priorem, ſolis proprium motum eſſe, quo in ſignorum orbe quotannis ab occaſu ad ortum reuoluitur. Poſteriorem eſſe, primæ ſphæræ, quæ complexu ſuo omnia coercet, & ſolis ac reliquarum ſtellarum errantium orbes, ab ortu ad occaſum ſecum vnà ſingulis diebus contorquet. Porrò ſolis ſtellam ſui, tum præſentiâ, tum abſentiâ ortus & interitus efficere: præſentiâ quidem, ortus: abſentiâ, interitus. Cuius abſentiæ & præſentiæ, quæ fit viciſsim, cauſa ſit, quòd circulus ille ſignifer, per quem circunfertur, conuerſionémque efficit annuam, obliquè poſitus ſit, & ad Aquilonarem regionem vna ſui parte ad Auſtralem alia inclinet: ob eámque cauſam ſydus eiuſmodi modo ad nos accedat, tum autē

ſenſim in diuerſam partẽ retro cedat. Quum autẽ ad Septentriones propius accedit, vitali ſuo calore rerum omnium, ſeu plantarum, ſeu animalium, ortus facere. at quum à Septentrionibus ad Meridiẽ digreditur, tum ſui abſentiâ, quaſi triſtitia quadam terram cõtrahere, vt horreat, ac his, quæ fœcunditate ſua ſole præſente ediderat, magna ex parte ſplietur. Itaque ſolis motionem obliquam, eius, quæ in ortu eſt, & interitu, vicíſsitudinis cauſam eſſe. Eiuſdem autem perpetuitatis & conſtantiæ primum motum, qui nunquam immutatur, eodémque modo ſemper fit & agit. Neque enim vnũ & eundem motum, & vicíſsitudinem & perpetuitatẽ, quam ille habet, poſſe efficere. Non item primum motum, qui ſui ſimilis ſemper eſt, vicíſsitudinis in ortu & interitu authorẽ eſſe poſſe. Sed nec ſolis lationem ad eiuſmodi vicíſsitudinem ſufficere potuiſſe, niſi inæquali interuallo ob circuli, per quẽ mouetur, obliquitatem, ſolem moueret, illum modo adducendo, modò abducendo. Vna enim & eadem omnino motio, ſi eſſet, quę ſolem æqualiter moueret, oportere, aut perpetuò ortus rerum eſſe, aut perpetuò interitus: quòd contrariorum, qualia ſunt ortus & interitus, vna & eadem, eodem modo ſe habens cauſa eſſe non poſsit, idémque eodem modo affectum, ſemper idem facere naturâ ſuâ ſit comparatum. Atque hæc quidem præter cætera ad hãc rerum vicíſsitudinem attinentia in ſecundo de Ortu & Interitu Ariſtoteles tradit. cuius verba hæc ſunt: Cùm (inquit) demonſtratum ſit motum eum, qui latio dicitur, ſempiternum eſſe, ortus quoque, ſi hæc ita habeant, continens ſit neceſſe eſt. Latio nanque ortum continenter ideo faciet, quia id admoueat, & abmoueat, quod gignendi vim habet. Et paulò infrà, Quoniam poſitum eſt, & demonſtratum ortum interitúmque rerum continentem eſſe, ortúſque cauſam lationem eſſe dicimus, illud affirmamus, ſi vnica eſſet latio, futurum eſſe, vt ambo fieri non poſſent, quandoquidem inter ſe aduerſentur. Idem enim eodémque modo ſemper habẽs rem eandẽ facere aptũ eſt. Quare aut ortus ſemper eſſet, aut interitus. Multi igitur motus ſint, iique contrarij, aut latione, aut inęqualitate opor-

tet: ſiquidem contrariorum contrariæ ſunt cauſæ. Quocirca & prima latio ortus ac interitus cauſa non eſt, ſed ea, quę eſt obliqui circuli, quippe quæ & perennis eſt, & duobus motibus fit. Neceſſarium enim eſt, ſi ortus interitúſque fieri debeant, & non deſiſtant, ſemper moueri, ne autem altera duntaxat fiat, duobus. Continuationis igitur vniuerſi latio cauſa eſt, acceſſus verò & receſſus ipſa decliuitas. Fit enim vt interdum quidē propè adſit, interdum procul, &c. Quæ omnia ſunt veluti explanatio eorum, quæ hoc in loco breuiter afferuntur. Itaque cùm ait, Porrò ſi circuitu ſemper idem perinde eſt, ac ſi hunc in modum dixiſſet. Si circuitu omnia ſemper redeunt, ortúſque & interitúſque rerum perpetua eſt vicisſitudo, duo quædam ſempiterna mouentia ſint, neceſſe eſt: quorum alterum æternitatem eiuſmodi circuitus faciat, & tueatur: alterum ortus omnis interitúſque ſemper ſit cauſa. hoc quidem mutabilitate quadam, quæ in eo poſita ſit, vt obliquè moueatur, ortus authorem, nempe ſolem nunc cominus agendo, nunc eminus ſeducendo: illud verò vno eodémque modo ſemper ſe habens, motionem ſuam vnius modi ſemper efficiendo, & ſempiternitatem alteri mouenti communicando. Cùm verò neceſſe ſit, aliquid eſſe, quod ſemper agat, ſed aliter & aliter, ortus & interitus rerū perpetuò faciendo, aliquid, quod eodem modo ſemper agit, fit, vt illud per ſe ortus & interitus cauſa ſit, per aliud verò æternitatis, quæ in ortus & interitus ineſt vicisſitudine. Illud autem per quod agit, cùm vel omnium, quæ agant, primum eſſe oporteat, vel non primum, ſed aliquid aliud, quod primo ſubiiciatur, vt primum ſit, præſtat. Etenim ſi aliud, quod primum non ſit, ponatur, cùm primi virtute omnia agant, ad illud tandem veniendum erit, quod & ei, à quo ortum & interitum perpetuò proficiſci dicimus, & illi, quod perpetuò agere ponitur, actionis eſt cauſa. Quod itaque primum eſt, huius perpetuitatis cauſa erit, vicisſitudinis, id quod ob ſui obliquam motionem aliter ſe habet, vtriuſque, hoc eſt, circuitus perpetui, vtrunque: ita tamen, vt vni & eidem hoc tribuatur, vnum quidem (vt dictum eſt) per ſe, alterum per

aliud, hoc eſt, per primum. Eiuſmodi autem eſt ſol, qui ſua motione (vt docuimus) ortus & interitus facit: in ea autem actione primæ ſphæræ virtute & efficientiâ perpetuò verſatur. Quod quidem, quanuis fortaſſe dubium videri poſsit, ſiquidem ſol ab occaſu ad ortum per circulum ſignorum ex ſe moueri perpetuò, non primi mobilis efficientià ponitur, ita tamen ſe habet: nam primus ille motus aliorum finis videtur eſſe. Siquidem errantium ſtellarum animæ ideo mouent, vt primo mouenti ſimiles fiant, ad eúmque, quamproximè fieri poteſt, accedant. ita, vt ſi primum remoueas, aliorum nullus eſſe poſsit, ob eámque cauſam omnis eorum perpetuitas à primo proficiſcatur. Atque, vt concedamus orbes omnes propria motione ex ſe perpetuò moueri poſſe, & motus eorum perpetui primum motum cauſam non eſſe, adhuc tamen viciſsitudinis, quæ in ortu eſt & interitu, perpetuitas à ſupremo motu accipitur, ita, vt motu illo primo ſublato, quanuis ſolis ſtella in orbe ſignifero perpetuo, quod fieri non poteſt, volueretur, omnia, quæ oriuntur & occidunt; prorſus perirent aliquando, nec vltrà omnino reſurgerent. Nulla enim aut vnica ſolùm per ſingulos annos eſſet, noctiũ dierúmue viciſsitudo, quam tamen viciſsitudinem ad rerum ortum & conſeruationem plurimum facere ea loca declarant, quæ polum ſupremum verticem nacta ſunt. hęc etenim cùm vnius tantum diei, vniúſque noctis annum ob ſitum illum habeant, ſolíſque non præſentia ſolùm, ſed & lumine ſex menſes integros priuata ſint, horrida eſſe & vacua, atque ab hominibus & belluis deſerta eſſe exiſtimantur. Quare ortus rerum perpetuitatem motus primus efficit, qui ſolis ſydus ſingulis diebus ab ortu ad occaſum rapiens, noctium & dierum viciſsitudines efficit, quòd ſol ita eo motu cieatur, vt cùm terras lumine ſuo compleuerit, eaſdem modò his, modò illis partibus ſui abſentiâ opacet. Ita intelligenda videntur ea, quæ de ortus & interitus viciſsitudinis cauſis, his verbis traduntur. Quod autem ſubiicit in fine, hoc eodem modo ſe habere, & motus: perinde eſt, ac ſi dixiſſet, quemadmodum inter ſe affecta ſunt, id, quod eodem modo ſemper habet &

agit. Et id, quod aliter & aliter, ita & eorum motus. Siquidem vtrorúmque eadem eſt ratio. Inquit verò Alexander idem valere, ac ſi dixiſſet, non nos ſolùm de inerrantis ſphæræ, & ſolis motibus hæc tradimus, ſed etiam motus ipſi reuera ſic ſe habent. Quæ expoſitio (vt mihi quidem videtur) verbis conſentiens non eſt, nec mihi probatur, quemadmodum nec illud, quod ait initio horũ omnium verborum, poſt illud, quod ſi idem ſemper eſt circuitu, deſiderari hoc, vel alio modo, vt perfecta oratio eiuſmodi ſit, ſi mundus hic ſemper eſt, vel circuitu, vt Empedocli placet, vel aliter, vt nobis videtur, &c. Docuimus enim circuitum ad Ariſtotelis ſententiam, non ad Empedoclem attinere, ſed hoc, vtro modo ſe habeat, non multum refert.

Quid igitur alia perſcrutari principia oportet?

Cùm duos illos mouentes, ſolem, qui aliter, atque aliter agit, & primùm qui vno eodémq; modo in actione ſemper verſatur, vel eorũ motiones, viciſsitudinis perpetuę, quę in ortu rerũ & interitu eſt, idoneã cauſam eſſe docuerit, in Platonẽ, & fortè etiam in Empedoclẽ, qui alia principia & cauſas ſtatuere viſi ſunt, his verbis inuehitur. Illorum enim alter concordiam & diſcordiam, alter Ideas ortus rerum cauſam eſſe tradidit. De Empedoclis ſententia antea dictum eſt, atque etiam de Ideis nonnulla. Cenſet autẽ Ariſtoteles Ideas à Platone poſitas fuiſſe, vt ortus rerum cauſa eſſent, ita, vt res nulla abſque Ideæ efficientia oriretur. Quam ſententiam non hìc ſolùm, ſed alibi ſæpe, & in primo huius operis maximè, refellit: nullámque earum neceſsitatem eſſe docet, quòd res omnes, quarum Ideas Plato ſtatuit, naturâ oriantur & fiant, quæ in agendo nullo vtitur exemplari. Effectrices autem ortus cauſas alias eſſe, vt ad Ideas recurrere minimè ſit opus. Sed horum phyloſophorum vter rectius ſenſerit, Plato in Ideis ſtatuendis, an Ariſtoteles in iiſdem reiiciendis, præſentis inſtituti non eſt excutere. hoc enim ipſum per ſe, aut in primo huius ſcientiæ diſquirendum videtur.

Quoniam autem & ita fieri poteſt, & niſi ita fiat, ex nocte erunt, & omnibus in vnum congeſtis, & ex non ente, diſſolui profectò hæc poſſunt. Atque aliquid eſt, quod abſque vlla ceſſatione motu vi in orbem ſit, cietur, hócque non ratione ſolùm, ſed re etiam ipſa perſpectum eſt. Quamobrem primum cælum ſempiternum erit.

Quoniam (inquit) ita fieri poteſt, vt videlicet traditum eſt, nempe vt omnia eadē per circuitum redeant, mundúſque perpetuò perſeueret, cuius quidem circuitus ac perpetuitatis cauſæ ſint primum id, quod mouetur, & id quod aliter & aliter agit, hoc eſt, ſolis globus, ac niſi ita fieri poſsit, nulláque motus, à qua circuitus proficiſcatur, perpetuitas ſit, eueniat. vt ex nocte & non ente, ſeu chao omnibus rebus in vnum congeſtis mundus ſit ortus, quod merum cōmentum eſſe traditum eſt, ſequitur profectò, vt diſſolui facilè hęc poſſint, hæc inquam, quę de nocte & chao à veteribus illis theologis, atque etiam phyſicis nonnullis fuerunt excogitata. Quid enim noctem aut chaos inducere neceſſe eſt, ſi motus ſempiternus eſſe poteſt: vnus quidem vnius modi, alter alio atque alio modo ſe habens, à quibus ortus & interitus viciſsitudo perpetuò exoriatur. Facilè igitur hæc tolluntur, atque (vt demonſtratum eſt) aliquid eſt quod abſque vlla ceſſatione continenter mouetur: & illud quidem eo motu, qui conuerſio dicitur. hoc verò non ex ea ſolùm, quæ allata ſuperius eſt, ratione cognoſcitur, ſed re ipſa atque opere perſpectum eſt, ſiquidem ſenſus & effecta omnia, quæ in hoc mundo ſublunari perpetuari cernimus, eam ipſam ſempiternitatem teſtantur. Nam quanuis nemo ex his, quæ vitæ ſuæ curriculo vidit, æternitatē hanc aſtruere valeat, tametſi Neſtor ſit ille, aut alius quiſpiam, qui multas vixerint ætates, omnium tamen ſęculorum memoria, quæ à veteribus & priſcis hominibus, deinceps poſteritati tradita eſt, teſtis eſſe poteſt, aliquid eſſe, quod ſempiterno tempore motum eſt, quod

quidem eſt cælum primum. Atque hæc horum omnium verborum vera explanatio videtur. Niſi quis vellet, id, quod dicitur, diſſolui profectò hæc poſſunt, ad ea referre, quæ de potentia actum antecedente ſuperius obiecta ſunt. Vt ſit ſenſus, Si perpetuus rerum omnium circuitus concedatur, atque ita res ſe habeat, vt declaratum eſt, omni potentia actus aliquis prior ſit, neceſſe eſt: quanuis omnia quę gignuntur, potentiâ antea ſint, quàm in lucem edantur. Circuitus enim rerum perpetuus, & actus prior potentia ſeſe conſequuntur, nec alterum ab altero poteſt dirimi. Quod Ariſtoteles antea tradidit, cùm diceret nec chaos, nec noctem tempore infinito antea anteceſsiſſe. Sed omnia ſemper eadem, aut circuitu, aut alio modo ſemper fuiſſe: ſiquidē actus potentia eſt prior. In quibus verbis illud etiam docet, noctem & chaos vtrique illorum aduerſari, & cum amborum natura acriter pugnare. neque enim inductâ, ſeu nocte, ſeu rerum omnium permiſtione & chao circuitus vllus eſſe poteſt aut actus, qui omnē potentiam antecedat. Non item noctem aut chaos ponere quis poteſt, ſi vel circuitū eſſe, vel omni potentia actum priorē ſtatuat. Ita tamen inter ſe affecta ſunt, vt niſi nox aut chaos ponatur, circuitus neceſſariò & actus potentiam omnem antecedens ſit inuehendus: itidem contra, noctem & chaos, niſi illa ſtatuantur, velimus nolimus inducere neceſſe eſt. Cùm verò horum alterum ſtatuere neceſſe ſit, nóxque ipſa naturæ aduerſetur, quippe quæ informē materiam non patitur, chaos verò generationem veram tollat, ac pleraque alia ſecum incommoda afferat, vt circuitum inducamus, neceſsitate quadam profectò impellimur. Ita igitur ad quęſtionem de potētia & actu verba hæc accōmodare aliquis poſsit.

Eſt igitur & aliquid quod mouet. Quoniam verò id, quod mouetur, & mouet, medium eſt, aliquid quoque eſt, quod non motum mouet, ſempiternum, ſubſtantia, & actus.

Quicquid mouetur ab aliquo moueri, in ſeptimo & octa-

uo libris de Naturali auſcultatione Ariſtoteles monſtrauit. Quoniam igitur hoc dictum eſt, motum ſempiternum eſſe, eóque cælum cieri, colligit, aliquid eſſe quod illud mouet: Ita ſempiternitas actus, quod quidem facere inſtituerat, demonſtratur, ſimúlque oſtenditur, primum mouentē aliquem eſſe: quandoquidem cælum, quod ab illo mouetur, primum eſt, quod motione cieatur. Intelligendum eſt autē, hoc, quod mouet, ab ipſo cælo diuerſum eſſe: ſiquidem fieri non poteſt, vt ipſum, quod eſt corpus & magnitudo, ſe cieat. Nec enim quidpiam eſt, quod ſe mouere & agitare cōcedatur, niſi eius pars ſit vna, quæ moueat, nullo ipſa motu agitata: altera, quæ moueatur, nullam per ſe, aut ex ſe motionem efficiens. Qui ſanè mouendi modus ratióque, quanuis difficilem habet intellectum, in animalibus perſpicuè cernitur: quæ eius ſunt generis, vt per ſe, & à ſe moueri concedantur. In eis enim id quod mouet, & immobile per ſe manet, quod eſt anima, ſeorſum ineſt, ſeorſum etiam id, quod ab anima mouetur, videlicet corpus, hunc motionis modum in cæli corpore abſque mouentis ſeparati natura inuenire non licet. quippe quod partibus non conſtet, quarum vna per ſe moueat, non moueatur, altera moueatur, nec moueat. Corpus enim eſt, idémque continuum, quod eiuſmodi partes habere non poteſt. Itaque cùm moueatur, vis aliqua diuerſa, quæ motione illud cieat, ſtatuatur neceſſe eſt. hanc autem vim motione omni vacare, in octauo quidem Naturalis auſcultationis, quemadmodum eam ipſam eſſe Ariſtoteles demonſtrauit, ſed nunc quoque in verbis, quæ ſequuntur, demonſtrat. Atque hæc altera pars eſt concluſionis, quam huius diſputationis initio demonſtrãdam propoſuit, cùm diceret, neceſſarium eſſe, aliquam ſubſtantiam ſempiternam & immobilem exiſtere. Eo autem demonſtratio nititur, quòd ſi mediũ aliquod ſit, quod duobus extremis participet, aut ex illis cōnſtet, illorum præterea extremorum vnum ſit, alterum quoque eſſe oporteat. In his autem, quæ mouent & mouentur, medium aliquod eſt, quod ſimul mouet & mouetur. Alterum etiam extremorum exiſtit, nempe id, quod mouetur tantum, & non mouet,

quare conſequitur, vt aliquid etiam in rerum ſit vniuerſitate, quod moueat, & non moueatur, ac illud quidem, quod mouetur, & mouet, primum eſt cælum, quod ipſum, vt patet, per ſe mouetur, alióſque orbes ſecum mouet. Id verò, quod mouetur, cęlum eſt ex planetarum orbibus cōſtitutum, quod quidem à primo mouetur, ipſum autem neceſſariò nihil mouet. Id tandem, quod motione vacare demonſtratur, eſt vis mouens primum cælum, & eo medio alios. Cùm verò demonſtratio hunc in modum cōcludi videatur, illud animaduertendum eſt, eam conciſe in his verbis hiſce legi, vt locum hunc Alexander mancum exiſtimauerit, hócque totum (at eſt aliquid, quod mouetur tantùm) poſt ea verba (quoniam autē id, quod mouetur, & mouet, mediū eſt) deeſſe. Quod probabile admodum eſt: ſiquidem, niſi ita ſuppleatur, efficacitatem nullam ratio habet. Loco autem ita ſuppleto efficax ratio eſt, ſimiliſque ei quæ in octauo de Naturali auſcultatione ad hoc ipſum demonſtrandum concluſa eſt. Sic enim legitur, Tria neceſſe eſt eſſe, id, quod mouetur, id, quod mouet, & id, quo mouet. Id igitur, quod mouetur, neceſſarium quidem eſt moueri, at mouere neceſſarium non eſt. Id autem, quo mouet, & mouere moueri. Cùm enim ſimul ſit cum eo, quod mouetur, vnà cum ipſo mutatur. Quod in iis, quæ loco mouent, perſpicuum eſt, eum vſque ad aliquid neceſſariò ſe tangant. At quod ſic mouet, vt non ſit id, quo mouet, immobile eſt. Cùm igitur extremum id intueamur, quod moueri quidem poteſt, motionis autem principium non habet, & id, quod mouetur quidem, ab alio autem, non à ſeipſo, rationi conſonum eſt (ne dicam neceſſarium) tertium quoque eſſe, quod immobile cùm ſit, mouet. hæc octaui phyſicorum ratio eſt, ei quam interpretamur, partim ſimilis, partim diſsimilis. Similis quidem, qua ex parte, ex eo, quod id ſit, quod mouetur tantum, & id, quod mouetur & mouet, id eſſe, quod ſolùm moueat, demōſtratur. diſsimilis verò, quod ex ratione inſtrumenti, quod quidem ab alio mouetur, vim habere videatur, cùm hæc ex ratione medij, quod vtroque extremo participet, petatur, quanquam ex illa fortaſſe ex

eodem vim ſumit. Quæ concludendi ratio, probabilis duntaxat alicui videri poſsit, cùm perpetuò res non ita habeat, vt ſi mediū aliquod aut cōpoſitum ſit, alteráque eius pars ſeparata inueniatur, reliqua quoque eius pars neceſſariò exiſtat. Siquidem (vt ait Simplicius) compoſitū inuenitur ex conſonante & vocali, & ſeparatim item vocalis, cùm per ſe conſonans proferri non poſsit. Adiecit verò eo in loco Ariſtoteles confirmationem ex Anaxagora ſumptam. illum rectè dixiſſe, ob hanc cauſam teſtatus, cùm mentem impatibilem eſſe & non miſtam ſtatuiſſet, quippe quam motionis principium feciſſet. Cùm verò probabilitatem duntaxat rationes eiuſmodi haberi videantur, neceſsitatem accipiēt, ſi illud adiiciatur, in mouētibus, & rebus, quæ mouētur, progreſſum in infinitum non eſſe, ſed ad aliquid tandem perueniri, quod omnino eſt immobile, ſeu ſtatim ad illud accedatur, ſeu ad id, quod ſeipſum mouet, quippe quod ſe mouere dici non poteſt, niſi quatenus vnam in ſe partem continet, quæ mouet, & omnino non mouetur. Quæ quoniam ex accidenti, nempe totius motu, agitatur, ideóque perennem motum facere non poteſt, vt in octauo illo demonſtratum eſt, neceſſe eſt, ſi motus perennis futurus eſt, mouentem ipſum omnis motionis expertem eſſe. Quamobrem (inquit Ariſtoteles) immobile aliquod primum mouens ſit neceſſe eſt, quod ne ex accidenti quidem moueatur, ſi in rebus, vti diximus, eſſe debeat inceſſabilis aliquis & immortalis motus. Inquit autem hoc in loco, hoc mouens, quod non mouetur, ſempiternum eſſe, ſubſtantiam & actum. Quæ omnia ex motus ſempiternitate accipiuntur, qui ſempiternus eſſe non poteſt, niſi mouens ſit ſempiternum. Neque enim à pluribus mouentibus ſibi viciſsim ſuccedentibus vnus idémque numero motus poteſt proficiſci: ſed ſubſtantiam quoque eſſe neceſſe eſt, eámque eſſentiâ actum, quòd ſubſtantia entium ſit primum, quale hoc mouens eſſe debet. motúſque ab eo, quòd ſubſtantia non eſt, manare non poſsit, nec motus ſempiternus ab eo, quod potentiæ eſt particeps, vt antea fuit demonſtratum.

Hoc autem modo mouet. id, quod expetendum eſt, & id, quod intelligentia apprehenditur, mouet, nec mouetur. horum verò prima eadem ſunt. Sub cupiditatem quidem enim cadit, id quod apparet bonum. id autem re ipſa eſt bonum, quod primùm volũtate appetitur. Ac quia videtur, potius appetimus, quàm, quoniam appetimus, videatur. Principium nanque intelligentia eſt. Intellectus autẽ à re intellectili mouetur. At res intellectilis altera ſecundũ ſe eſt ſeries, cuius ſubſtãtia prima eſt, & huius ea, quæ ſimpliciter eſt & actu.

His verbis, quæ conciſa admodum breuitate ſcripta ſunt, explanat, quemadmodum vis illa mouens, quæ non moueri, ſed mouere tantum tradita eſt, motum efficiat. hoc autem docet, demonſtrationem altius repetens, modúmque aperiẽs, quo res expetendæ, & quæ intellectu apprehenduntur, appetitum intellectúmque mouere ſoleant: tum demõſtrans, eam mouendi rationem ad eam vim, de qua loquimur, ſpectare, quandoquidem & ſummè eſt expetenda, & in eorum genere, quæ intelligentiâ apprehendi poſſunt, primũ locum obtinet. Itaque ait, eius, quod expetendum eſt, & quod intelligentiâ apprehenditur, hanc rationem mouendi eſſe, vt moueat, nec moueatur. Quæ res facilè declarari poteſt. Nec enim cùm auditum concentus aliquis, aut aſpectum pulchra aliqua effigies mouet, tum ſeu cõcentus, ſeu effigies illa mouetur. Sed ab illis motione vacãtibus auditus & aſpectus motu quodam, & ſi non proprio, pelluntur: quod idem euenit rebus intellectilibus, appetitúmque mouẽtibus, cùm mentem aut appetitum mouent. De qua re Ariſtoteles in tertio de Anima verſus finem copioſè diſſeruit. Cùm ergo ita res ſe habeat, víſque hæc mouens, de qua diſſeritur, ſummè intel-

lectilis ſit, ſumméque expetenda eius naturæ & facultatis eam eſſe colligit, vt moueat & non moueatur. Summè autẽ intellectilem expetendámque eſſe hunc in modum videtur monſtrare. In ordine eorum, quæ per ſe intelliguntur, ſubſtantia primas tenet, atque in ſubſtantiæ genere ea, quæ ſimpliciter eſt actus. Eiuſmodi autem eſt vis ea, quæ ſempiternum motum ita facit, vt non moueatur: eorum ergo, quæ intelligentiâ apprehenduntur, hæc ipſa vis ſumma eſt. Quod ſi ita habet, omnium quoque expetendorum ſummum ſit neceſſe eſt. In his enim duobus generibus eadem ſunt, quæ prima ſunt & ſumma. Nam quãuis non omnia, quę bona optabiliáque videntur, & cupiditatem cient, continuò ſint aut bona, aut optabilia, alterámque vim appetendi, hoc eſt, voluntatem moueant, primum tamen, quod ſub voluntatem cadit, illud eſt, quod reipſa bonum eſt, atque optabile: neque ideo optabile, aut bonum videtur, quia appetimus, ſed contrà appetimus, quia optabile eſſe intelligentiâ & ratione cõprehenſum eſt, cùm voluntatis appetitio ex intelligẽtia oriatur, intellectúmque res illæ ſolæ moueant, quæ ab ipſo comprehendi ſeu intelligi aptæ ſunt. hinc profectò conſequitur, vt primùm expetendum, quod ſub voluntatem cadit, intelligentiâ apprehendatur, & vt in expetendorum genere primum eſt, ita in eorum, quæ intellectũ mouent, primum locum occupet. hunc in modum Ariſtoteles vim, quæ mouet, & non mouetur, in genere rerum intellectilium & expetendarum primam eſſe (vt videtur) demonſtrat. Quæ demonſtratio cùm præciſè atque obſcurè concludatur, vt clara & perſpicua fiat, illud in primis ignorandum non eſt, duo bonarum optabiliúmque rerum genera eſſe, vnum, earum, quæ cùm bonæ optabiléſque re vera non ſint, videntur tamen: eiuſmodi ſunt corporis voluptates, potiſsimum ſi exuperent. Alterum genus eas complectitur, quæ veræ ac ſuapte naturâ bonæ ſunt, & optabiles. Quales ſunt virtutes, omnéſque animi boni habitus. Illud deinde non eſt prætereundum, vim appetendi, quanuis ſubiecto & numero vna eſt, in duas tamen rationes diſtribui. Nam quemadmodum nihil obſtat,

quominus ſentiēdi facultatem vnam dicamus, quanuis ſenſibus quinque contineatur: vnam item animam, quæ tamen viribus multis eſt prædita. ita nihil impedit vnam genere, aut etiam ſubiecto eſſe naturam, quæ appetit, tametſi duæ eius ſunt vires, aut partes. Eſt igitur vna eius pars cupiditas, & libido, altera voluntas. Prima ſenſus tantum iudicium ſequitur, & quòd ſenſus in rem ſolùm præſentem feratur, ea, quæ optabilia, cùm non ſint, videntur, conſectatur. Secunda menti & rationi, quæ non præſentis ſolùm rei, ſed etiam futuræ ſenſum habet, adhæret, nihílque expetit, quod non antea verè bonum eſſe ratione & intelligentia fuerit comprehenſum. Quæ à cupiditate expetuntur, bona ob id videntur, quia expetuntur, ac iucunda eſſe percipiūtur. Quæ autem à voluntate, ſuapte naturâ bona ſunt, & prius bona eſſe apprehēduntur, quàm ab illa expeti incipiāt. Neque enim vt voluntatis, ita cupiditatis id, qnod verè bonum eſt, obiectum eſt, ſed iucundum. Quod quia iucundum eſſe percipitur, bonum etiam à ſenſu eſſe exiſtimatur. Atque, id eſt, quod apparens, nō verè bonum appellatur. Pręter hęc, illud quoque animaduertendum eſt, eorum, quæ intelligentiâ apprehenduntur, duas ſeries ſeu ordines eſſe. Vna ea comprehendit, quæ per ſe intelligi apta ſunt: altera ea, quæ ex accidenti, ſeu omnino per aliud. In prima habitus omnes & formæ collocātur, in altera habituum & formarum priuationes. Eſt autē habituum ordo varius & multiplex, quippe qui & ſubſtantias omnes, & accidentia omnia, quæ in ſubſtantia inhærent, intra ſe concludat. Sed in toto eiuſmodi ordine, qui per ſe intelligentiam mouet, primum locum ſubſtantiæ occupant, deinde beneficio eius accidentia, quemadmodum & per eam in rerum ſunt vniuerſitate. Cùm autem ſubſtantiarum aliæ materiæ participes ſint, & concretæ, poteſtatíque admiſtæ, aliæ ſimplices, & à materia abiunctæ, ſuáque naturâ actus, hæ poſteriores in altiſsimo rerū, quas intelligentiâ apprehēdimus, gradu collocātur, tum ſubſtātię materiâ participātes proximè cōſequūtur. Cuius rei cauſa eſt, quod quicquid per ſe, ſeu ſenſu, ſeu mente apprehenditur, actu in rerum vni-

uerſitate eſſe oporteat. Nihil enim per ſe apprehendi poteſt, quod vim apprehēdentē non moueat, atque ad ſui apprehenſionem quodammodo excitet, & quale ipſum eſt actu, talem facultatem illam apprehendentem efficiat. hæc verò à nullo, niſi actu ſit, præſtari queunt, quippe cùm mouere actus ſolius proprium ſit, potentiæ autē & facultatis moueri. Quod quidem de ſenſu & his, quæ ab eo apprehenduntur, in ſecundo de Anima, de mente autem & rebus, quas intelligit in tertio eiuſdem operis, ab Ariſtotele traditū fuit. Atque cùm res ita habeat, fit, vt quo aliquid actu magis participabit, eo naturâ ſuâ, ac per ſe intellectile magis ſit. Quæ verò ab actu remouentur magis, & ad potentiæ ſeu priuationis accedunt naturam, ſub intelligentiā cadere minus ſunt apta. hinc euenit, vt ſubſtantiæ materiæ expertes, quòd ab omni potentia & priuatione ſint liberatæ, actúſque puri ſint & ſimplices, in rebus, quas mens apprehendit, primum locum merito habeant, tum ſubſtantiæ, quæ materiam admiſtam obtinent, conſequuntur. deinde formæ accidētariæ. In poſtremo gradu, qui ſecundum ordinem totum complectitur, priuationes poſitæ ſunt, quæ nullo modo per ſe, ſed per habitus ſuos apprehendi conſueuerunt: his hunc in modum declaratis ad Ariſtotelis rationē redeamus. Cùm itaque duo rerum optabilium (vt dictum eſt) ſint genera: duo item earum, quæ ab intellectu apprehenduntur, ordines, prima (inquit) horum eadem ſunt. Prima autem in optabilium genere non ea, quæ per ſe bona ſunt, naturámque verè optabilem habent. Nec item in rebus intellectilibus, eę, quę non ex accidenti aut per aliud, ſed per ſe apprehenduntur. hæc enim quidem eadem fortaſſe inueniuntur, ſiquidē optabile re vera nihil eſt, quod ab intellectu tale eſſe percipi nequeat: intellectus contrà nihil, niſi re ipſa bonum aut optabile apprehendit, quippe qui habitus & formas percipit quas diuinum quiddam, bonum & expetendum eſſe, ob eámque cauſam eas, quæ in materiam recipiuntur, vt à fœmina marem ab ipſa expeti Ariſtoteles tradidit. Sed quanuis ſint eadem, ea tamen prima hoc in loco non intelliguntur. Sed potius ea, quæ in his primis

locum ſummum habent. Cuiuſmodi in rebus intellectilibus ſubſtantia ſimplex & actu: in optabilibus autem id, quod re ipſa non ſolùm bonum eſt, ſed omnium bonorum optimum. hæc eadem eſſe ſtatuuntur. At rectè quidem. Nam ſi optabile re ipſa intelligentiâ apprehenditur, quo optabilius aliquid eſt, profectò id magis apprehendi queat, neceſſe eſt: ita fit vt quod ſummè eſt optabile, ſummum quoque eorum ſit, quæ intelligentiâ poſſunt apprehendi: & contrà id, quod ſummè apprehendi poteſt, expetendorum òmnium maximum. Præſertim, cùm forma, quemadmodum diximus, bonum quoddam ſit diuinum & expetendum, vt ſumma & perfectiſsima forma, qualis eſt ſimplex & actu ſubſtantia, quæ maximè intelligi apta eſt, diuiniſsimum ſit, optimum & rerum, quæ expetuntur, maxima. Cùm ergo hæc prima eadem ſint, & ea, de qua diſſeritur, vis mouens immobilis in rebus intellectilibus primatum teneat, vtpote ſimplex & actu, in rebus quoque optabilibus ſumma ſit, neceſſe eſt. Eo itaque modo mouere poteſt, quos res intellectiles optabiléſque mouent, quæ ita mouent, vt cùm mouent, non moueantur. Quod autem ait (ſub cupiditatem quidem id cadit) quanuis non cohærere cum ſuperioribus videatur, ad id pertinet, vt doceat non omne quidem, quod expetitur, intellectu apprehendi, quòd quædam cupiditatem moueant, quæ ad ſenſum attinent, non ad mentem, quæ tamen prima ſunt in genere expetẽdorum & intellectilium, eadem eſſe: ſiquidem prima, quæ re vera ſunt bona, voluntate expetuntur: quam expetitionem mentis cognitio antecedit, vt ideo expetantur, quia expetenda eſſe rationi videantur: non autem videantur, quia expetantur, vt apparentibus euenit bonis. Principium enim (inquit) ſubaudi appetitionis, intelligentia eſt. Intellectus autem à re intellectili mouetur, ita vt rem, quæ appeti voluntate debet, intellectilem eſſe oporteat. Quod autem ſubiicitur: At res intellectilis altera ſecundum ſe eſt ſeries, rationis allatæ eſt aſſumptio, quemadmodũ ex iam dictis intelligere facilè quis poteſt. Quæ autem ſit rerum intellectilium altera ſeries, ſatis à nobis expoſitum fuit.

Idem autem non eſt vnum & ſimplex. Vnum enim menſuram, ſimplex verò, quomodo res ſe habet, ſignificat.

Cùm dixerit ſubſtantiam actu & ſimplicem in his, quæ intelligentiâ apprehenduntur, ſummam eſſe, ne quis errore ductus, ſimplicis vocabulum ad vnius referret ſignificationē, idémque eſſe vnum & ſimplex putaret, eorum differentiam ſubiicit, vnum inquiens menſuram ſignificare, ſimplex verò rei habitum quendam. Quod quidem verum eſſe ex his poteſt intelligi, quæ in quinto & decimo huius operis libris de vocabuli, vnius, ſignificatione ſunt prodita. Inter cætera autem rationem menſuræ eo ſignificari præclarè exponitur. Nam cùm menſura id nuncupetur, quo primo vnumquodque cognoſcimus, omnia profectò, & quanta præcipuè, vno agnoſcuntur, vel certè eo, quod diuiduâ naturâ licet cōſtet, vt tamen indiuiduum & vnum accipitur, quemadmodum pedis vnius linea eſt, qua ad lineas alias metiendas vtimur. hanc mēſurę rationē vox illa, ſimplex, non ſignat, ſed rei qualitatē & naturā ſeu diſpoſitionē. Quocirca poteſt quidpiam vnum eſſe, quod ſimplex non eſt, veluti vnus homo, aut aliud quid ſimile. Rurſus poteſt ſimplex quid eſſe, quod multitudine quadam conſtabit: nec vt vnum ſit, vlla neceſsitas impellit. Cuiuſmodi eſt hæc, de qua ſermo eſt, ſubſtātia immobilis, quæ cùm ſimplex ſit, non vnam tamen eſſe oſtendetur. Nec, quòd vocabulorum horum ſignificationes inter ſe differant, differentiam eorum indicatam fruſtrà eſſe quis putet. Interdum enim pro alio vnum ſumitur, quemadmodum cùm dicitur, aliquid ἁπλῶς non dici, idem valet, ac ſi diceretur, vno modo. Illud etiam verè vnum eſt, quod ſimplex eſt, & diuidi non poteſt.

Atqui & pulchrum, & quod propter ſe diligendum eſt, in eadem ſerie eſt, optimúmque ſemper eſt, aut optimo reſpōdet proportione id, quod primum.

Ad confirmandum id, quod traditum eſt, quæ in rebus expetendis & intellectilibus ſummum locum habent, eadem eſſe, poſitum hoc videtur. Nam de rerum intellectilium ſerie, cuius in ſuperioribus verbis meminit, loquitur. Eadem autē eſt bonorum, & eorum, quæ intelligentia apprehenduntur, ſeries, quòd habitus & formæ, quas per ſe intellectu agnoſci docuimus, boni rationem habeant, non ſecus, ac earum priuationes, mali. Quod etiam Pythagorici quidam tradiderunt, cùm duos rerum ordines, vnum habituum, alterū priuationum ſtatuerent, & hunc quidem rerum malarum, illud bonarum eſſe vellent. Quos ordines in primo huius operis Ariſtoteles hunc in modum recenſet.

Finitum	Infinitum.
Impar	Par
Vnum	Multitudo
Dextrum	Siniſtrum
Maſculinum	Fœmina
Quieſcens	Motu agitatum
Rectum	Curuum
Lumen	Tenebræ
Bonum	Malum
Quadratū,	Altera parte longius.

Finitum igitur & cætera quæ ſequuntur bona eſſe, infinitum & reliqua mala. Quę omnia, vt patet, bonorum quædam ſunt priuationes. Quod autē dicitur, eſtque optimum ſemper, aut optimo reſpondet proportione id, quod primū eſt, alia ad idem confirmandum ratio videtur eſſe. Quanuis & huius quæ expoſita eſt, pars quædam eſſe poſsit intelligi. Sed vtrouis modo intelligatur, cùm id optimum eſſe, quod primum eſt, dixiſſet, illud, aut proportione reſpondet, pulchrè adiectum eſt. Quædam enim prima optima ſunt, non ſimpliciter quidem, ſed ſola comparatione. Quemadmodum in intellectibus humanis is, qui actu eſt, optimus eſt, non ſimpliciter, ſed quòd alios intellectus, qui potentia ſolùm ſunt, aut habitu dignitate antecedit, ob eámque cauſam, cum primo ac diuiniſsimo intellectu, qui ſimpliciter optimus eſt, aliquo poſsit modo comparari.

Eſſe verò in his, quæ vacant motione id, cuius gratia, diuiſio indicat, alicui enim eſt id, cuius gra-

tia, quorum alterum quidem eſt, alterum non eſt.

In tertio huius operis, qui Græcis ſecundus eſt, cùm quæſtiones ad hanc ſcientiam pertinentes proponit & diſputat, in immobilibus rebus finem non eſſe docet, idque eo argumento, quòd finis & id gratia cuius, actionis cuiuſpiam ſit finis, actióque omnis cum motu efficiatur, qui in rebus immobilibus nullus eſt. huic decreto aduerſari id videbatur, quod antè tradidit, ſubſtantiam immobilem optimam eſſe, ac ſummè expetendam, eóque modo mouere, quo res expetenda motione appetitũ ciet, quod certè ipſius finis eſt proprium. Ne igitur ipſe à ſe diſſentire, pugnantiáque docere videretur, quemadmodũ in rebus immobilibus finis inueniatur, declarat. Itaque finem bifariam diuidit, vt vnus ſit cuius gratia actio fit, quíque actione cõparatur. Alter, cui hic, in quem actio deſinit, fieri conſueuit. Siquidem id cuius gratia actio eſt, alicuius ſemper commoditati comparatum eſt: horum igitur alterum mobilibus rebus concedit, alterũ negat. Quem autem concedat, quémue neget non aperit: ſed ex horum finium natura poteſt intelligi. Cùm enim vnus actione cõparetur, & eo, qui agit, longè ſit poſterior, in immobilibus eſſe profectò non poteſt. quippe quæ non moueãtur, atque in ſuo fine ſint ſemper, nihílque quod antea non haberent, indipiſcantur. Alter ante rem gerendam, ſeu actionem exiſtit, ſimúlque eſt cum eo, quod agit, imò verò vnum idémque cum eo eſſe poteſt. Cuiuſmodi eſt ædificator, qui ſibi domum conſtruit. huius generis finis in rebus immobilibus & ſempiternis ineſt, & quo minus inſit, eiúſque ratio eis conueniat, nihil impedit. Nam & ſi immobiles ſint, mouere poſſunt & agere, idque ſui gratia & propter ſe, vt in eo, in quo ſunt, ſtatu conſeruentur. Neque actio omnis cum motu coniuncta eſt, ita, vt res quę agit, moueatur, ſed ea tantum actio, quæ à corpore, aut ab eo, quod in corpore ineſt, illíque copula quadam coniunctum eſt, proficiſcitur. Mentis enim actio atque etiam aſpectus & tactus ſine motu efficitur, cùm temporis fiat momẽto, in quo motus eſſe non poteſt. Omnia

præterea ad ſubſtantiam immobilem, vt ad extremum bonorum ſunt ordinata, vt illa non ſui ſolùm, ſed aliorũ etiam omnium finis dicatur. Qui etſi motu, quomodo calor, paulatim non acquiritur, quandoquidem bonum agendum non eſt, vnaquæque tamen res actione ſua & motu à natura conſtituto, ad illam quã proximè accedere, eique coniungi enititur, non ſecus ac grauia locum inferum, leuia ſuperum, vt finem ſuum motionibus ſuis adipiſcantur. hæc autem finis ratio, quanquam eius videatur eſſe, cuius gratia aliquid fit, quem finis modum ſubſtantiæ immobili Ariſtoteles negat, quoniam tamen per motum non fit, nec paulatim gignitur, quomodo domus aut ſanitas, eidem ſubſtantiæ tribui poteſt. Itaque patet, quemadmodum in immobilibus finis ponatur. Auerrois finis diſtinctionem aliter tradidit, vt vnus is eſſet, qui in alium recipitur, vt illius quædam perfectio, quemadmodum ſanitas in animali, alter per ſe manens, vt dominus ſeruorum finis eſt, in quem actiones illorũ diriguntur. hunc poſteriorem ſubſtãtiæ immobili ait tribui, veluti ei, ad quam omnia referuntur: alterũ minimè, quomodo accidẽs ſit, quod in ſubſtantia illa eſſe non poteſt. Eſt autem animaduertendum finis partitionem in id, gratia cuius & id cui, in ſecundo de Anima traditam fuiſſe, cùm viuentis corporis finem animam eſſe Ariſtoteles docuit. Atque hanc finis partitionem intelligo, cùm nunc ait, diuiſione indicari.

Eo igitur mouet modo, quo res, quæ amatur: quod autem mouetur, mouet reliqua.

Quoniam quæ expetuntur, optimáque ſunt, & in pulchrorum genere ſumma, eadem neceſſariò amantur, ſubſtantiámque immobilem non expetendam ſolùm, ſed rerum omnium expetendarum maximam, & optimam, pulcherrimámque eſſe monſtratum eſt, concludit, eam non ſecus mouere id, quod motu ciet, quàm res, quæ amatur, amantem mouere, & ad ſe rapere conſueuit: quaſi diceret, ſine ſui motione: id autem, quod ab ea mouetur, reliqua motu ciere.

Quæ verba aperta quidem videntur ad intelligendum, ſed tamen obſcura ſunt,& cum multis difficultatibus coniuncta. Quid enim illud ſit, quod ſubſtantiæ immobilis amore rapiatur,& ab ea impulſum cętera moueat, difficile eſt (vt ego quidem exiſtimo) diiudicare. Nam cùm cælum primũ,quod complexu ſuo omnia continet, & velociſsima,ſibíque ſimili fertur conuerſione, veriſsimile ſit id eſſe, quod ab illa dicitur moueri, quippe quod motu ſuo cætera omnia ſecum verſat, eiúſque motus ſempiternitate ſubſtãtiam hanc ſempiternam exiſtere monſtratum eſt, doceri non ſatis poteſt (quanquam multi id ſe præſtitiſſe cenſuerũt) quemadmodum illud à ſubſtantia immobili & prima, vt à re quæ amatur, expetendáque eſt, moueatur. hic enim motus, qui à re amabili atque expetenda proficiſcitur, verè & propriè motus non eſt, nec ad motum, qui in loco fit, pertinet, ſed ſola tranſlatione motus dicitur, qui finis, ſeu eius, quod vt finis mouet, proprius eſt, vt ad cælum, quod verè in orbem fertur, accommodari poſſe nullo modo videatur. Nec enim homo puellæ amore captus, impulſu ſolo, qui ab illa venit, ad eam quærendam moueri poſſet, niſi vim motricem in ſe haberet, cuius efficientiâ ad eam moueretur. Nec igitur cælum ſolo ſubſtantię immobilis amore ductum in orbem poteſt cõuerti, ſed conuerſionis eius effectricem cauſam, quæ non vt finis moueat, neceſſe eſt adeſſe. Ea verò nulla videtur eſſe, niſi ſubſtantia immobilis,quæ tamen non erit, ſi eo modo tantùm mouet, quo res, quæ amatur. Quod ſi præter ſubſtantiam primam immobilem, anima (vt Alexandro & aliis multis Peripateticis placuit) in cælo ſtatuatur, quæ ſubſtantiæ illius primę & immobilis amore commota, ad cæleſte corpus, in quo eſt, mouẽdũ impellatur,ita vt ab anima,veluti à cauſa efficiẽte,à ſubſtantia autem immobili,vt à fine,ac re expetenda & amata cælum moueatur,non pauciores,ſeu minores difficultates exiſtunt. Ex motus enim cæli ſempiternitate,ſubſtantiæ immobilis, vt cauſæ illius effectricis, ſempiternitas,tum in hoc libro,tum in octauo naturalis auſcultationis mõſtratur. hanc eandem ſubſtantiam in magnitudine non eſſe, eo demon-

ſtrabitur, quòd motus momẽtaneus fieret. Quæ demonſtratio nulla eſſet, ſi vt finis duntaxat, non vt cauſa effectrix moueret. Cuius quidẽ rei tum, cùm demonſtratio afferetur, monebo. Quid? quod nullibi huius animæ cæleſtis Ariſtoteles meminit, nullóque in loco de ea diſſeruit, de qua tamen, vtpote re præſtantiſsima, non minus, imò verò multò magis, quàm de cæteris animabus, ſi illam eſſe credidiſſet, erat diſſerendum. Nam quod animatum cælum ponit, ad ſubſtantiam immobilem, de qua nunc agitur, referendum eſt. quippe quæ cęli quodammodo eſt anima. Quid? quod in progreſſu ſubſtantiæ immobilis numerum & multitudinem explanans totidem illas eſſe, quot orbes, qui conuertuntur, conſtituit, quod minimè neceſſarium eſſet, ſi ab ea, vt à fine & re expetenda motio prodiret, quippe cùm motionis omnis cæleſtis, imò verò rerum omnium illa ſit finis. Hæ igitur & ſimiles exoriuntur difficultates, anima, quæ à ſubſtantia immobili diuerſa ſit, in cælo conſtituta. quo modo igitur cælum primum ſubſtãtia immobilis, vt res, quæ amatur motu cieat, non facilè eſt exponere. Niſi animo concipiamus putemúſque, id, quod ab illa, vt à re expetenda & fine mouetur, primario cælum non eſſe, ſed ipſamet ſeu proprium eius appetitum ac mentem: quorum alter, hoc eſt, mentẽ, cùm naturam ſuam pręſtantiſsimam, omniúmque optimam & ſummè expetendam apprehendat, perfectionémque illam & immortalitatẽ, perpetuitate motus contineri intelligit. altero, hoc eſt, appetitu, eandem ardentiſsimo quodam amore proſequitur, atque ad cæleſte corpus motu perpetuo ciendum impellitur, non ſecus ac ſanitatis conſeruandæ gratia quiſpiam inambulat, cùm & illius perfectionem nouit, & non alio modo conſeruari eam poſſe intelligit. hoc de ſubſtantiæ immobilis motione in diſputationibus contra Algazelem, & in hoc etiã duodecimo, Auerrois excogitauit. Qui alium etiam finem motus, quo cælum à ſubſtantia illa mouetur, eſſe tradidit, rerum videlicet caducarum & mortalium generationem & conſeruationem, quæ ab illa cæleſti motione omnifariam pendet, & ſine ea conſeruari nullo modo poteſt.

Ita huius philoſophi ſententiã, eadẽ ſubſtantia immobilis & finis motus rationem habet, & cauſæ efficientis, nullâque anima diuerſa eſt, quæ à ſubſtantia illa, vt à re expetẽda moueatur. Nec hoc in ſubſtantiis à materia ſeiunctis abſurdum eſſe ait, quandoquidem finis & efficientis rationes ob materiam tantùm inter ſe diuerſæ ſunt, quæ ſi in rebus inſint à materia liberatis, eidem rei poſſunt cõuenire. Quemadmodum, inquit balneum, quod cogitatione à nobis cõcipitur, vt efficiens cauſa mouet, quod autem reipſà balneum eſt, motionis eſt finis. Id verò ſi in materia non eſſet, vel ſeiunctum à materia animo cogitetur, ab eo, quod vt efficiens mouebat, nulla ratione erit diſiunctum, eiuſdémque motus res eadem efficiens erit & finis. Cùm ergo ſubſtantia immobilis materiæ prorſus ſit expers, motionis cœli efficiens & finis eſſe poteſt. hæc Auerrois ſententia eſt (& ſi alij nonnulli aliter ſenſerint) quæ ſuperiores quidem difficultates elabitur, ſed tamen & ipſa alias coniunctas habet. Neque enim Ariſtoteles ſubſtantiam immobilem ſe mouere alicubi tradidit, ſed perpetuò cælũ ab ea moueri, ipſámque eſſe immobilem. Atque hoc in verbis quæ nunc exponuntur, tradi potiſsimum videtur. Siquidem ait id, quod mouetur, alia mouere, qui locus primo cælo maximè conuenit, cuius motione cæteri cientur. Quinetiam ſeipſam ad mouendũ cælum ſi moueat, immobilis profectò non erit, quod tamen Ariſtoteles demonſtrare hoc in loco inſtituit. Nec quod à materia abiuncta ſit, ad motum efficienter ciendum, ſi, vt res, quæ amatur, moueat, ſufficere videtur, quando nec balnei forma, & ſi à materia abiuncta poneretur, hominis corpus efficienter moueret, quippe cùm animæ illud ſit munus. Atque hanc mouentium cauſarum differentiam in his, quæ à re expetenda motu aliquo cientur, in tertio libro de Anima Ariſtoteles tradidit. Tria enim in animalium motu eſſe docuit. vnum, quod mouet, & illud bifariam diſtributum, nempe id, quod eſt omnino immobile, quæ eſt res expetenda: & id, quod mouet, & mouetur, quod eſt appetitus cum imaginatione aut mente, quæ à re amabili & expetenda mouentur, animálque ad

illam proſequendum moueat. Tertium eſt id, quo veluti inſtrumento ad motum efficiendum appetitus vtitur. Itaque patet id, quod à re amabili mouetur, non eſſe ipſam rem, quę amatur, ſed appetitū menti aut imaginationi cōiunctum, quę ipſum animal efficienter mouent: ſed occurrere aliquis poteſt, non neceſſarium eſſe inquiens, vt quod à re expetenda mouetur, ab illa planè diuerſum ſit, imò verò fieri poſſe, vt res expetenda ipſa ſe motione cieat, atque ad aliud mouendum impellat. Quemadmodū ſi animam noſtram ſe ipſam, quia præſtantem ſe eſſe intelligat, amore proſequi dicamus, & cùm magnam conſeruationis ſuæ partem in corpore (cuius forma eſt) mouendo, atque in exercitatione detinendo, percipiat, ab amore illo, quo ſe proſequitur, ad illud mouendum impelli. Eadem profectò anima eo modo mouet, vt res, quæ amatur, atque etiam efficienter animal ciet. Nihil igitur incommodi eſſe quis dixerit, ſi & ipſa immobilis ſubſtantia, quia optima eſt, & ſummè amabilis ſeipſam amet, & cùm perfectionem ſuam in mouendo cælò magna ex parte conſiſtere intelligat, amore illo impulſam ad illud mouendum excitari. Nec propterea immobilis non erit. Eo enim motu vacat, quo cælum mouetur, hoc eſt, motu ad locū pertinente, quanquā tranſlatione moueri, vt à re, quæ amatur, appetitus ſolet, concedatur. Cùm autē eam vt id, quod amatur, mouere Ariſtoteles tradit, non propterea inficiatur, quin & efficienter moueat, ſed modum tradit, quo ad mouendum impellitur. Quod autem ait, id, quod mouetur, cætera mouere, ad id pertinet, quod ab ea ſuæ bonitatis & præſtantiæ amore iam excitata & impulſa efficienter mouetur, quod quidem eſt cælum primum, quod alios orbes vnà conuertit. Itaque id, quod breuiter & ſtrictim concluſum eſt, hunc in modum poteſt dilatari. Mouet (inquit) vt res, quæ amatur. Quare cùm res, quæ amatur, appetitum ad ſui proſequutionem, & omnino motum aliquem, quo illam indipiſcatur, faciendum, impellat, hæc etiam ſubſtantia immobilis ſuæ præſtantiæ amore capta ſeipſam ad cælum mouendum excitat, quippe quæ (vt dictum eſt) perfectionis ſuæ bonam partem

in motu illo poſitam eſſe agnoſcat. Atque hæc ſatis de loco hoc perobſcuro atque perdifficili. Plura verò ad hanc quæſtionem attinentia ab Arabibus & Latinis noſtris diſputantur, ſed quàm rectè ipſi viderint.

Quòd ſi aliquid mouetur, alio etiam atque alio modo ſe habere id poteſt. Latio igitur prima, tametſi actus eſt, ſe habere aliter, qua ex parte mouetur, & loci ratione, etſi non ſubſtãtiæ, poteſt. Quoniam autem aliquid eſt, quod ipſum, immobile, & actu cùm ſit, mouet, nullo modo mutari id poteſt. Mutationũ enim prima latio eſt, atque eius conuerſio, hanc autem id efficit. neceſſarium itaque ens eſt.

Subſtantiæ immobilis cælum mouentis naturam immutabilẽ prorſus eſſe & neceſſariam, qualis certè primi omnium principij eſſe debet, ex his, quæ tradita ſunt, demonſtrat. Omni itaque mobilitatis genere eam vacare docet, eo argumento vſus, quòd loco, vt demonſtratum eſt, non moueatur, cùm hanc ipſam motionem, quæ ad locum pertinet, ipſa efficiat, omníque alio motionis genere, ſi eâ non cieatur, liberatam eſſe oporteat: ſiquidem motionum prima latio eſt, & nobiliſsima, & in lationum genere conuerſio, vt nobiliſſimam primámque ſubſtantiam eâ cieri, ſi aliqua cieatur, neceſſarium eſſe videatur, ob eámque cauſam, quæ illâ non cientur, nullo quoque alio genere moueri poſſe. Cùm verò immobilitatis omni genere prædita ſit, immutabilem prorſus eſſe & neceſſariam concludit, quippe qui velit ea ſola aliter ſe habere non poſſe, & neceſſaria omnino eſſe, quæ nullo motus genere cientur, ac ſi quæ ſint, quæ aliquo motu moueantur, qua ex parte mouẽtur, aliter illa ſe habere & neceſſaria non eſſe, & ſi alioqui immutabilem naturam aut ſubſtantiam accepiſſent. Quemadmodũ cælum, quod, cùm im-

mortale ſit, & ſubſtantiâ immutabili conſtet, quia in orbem verſatur, quatenus verſatur, aliter ſe habeat & neceſſarium non ſit: hunc in modum Ariſtoteles ratiocinatur. Ac omnia quidem, quæ affert, vera eſſe non eſt difficile explicare. Cuique enim vel mediocriter philoſophiæ perito, perſpicuum eſt, quicquid mouetur, quô mouetur, hôc aliter ſe habere & mutari, ſiquidem motus ex alio in aliud progreſsio eſt quædam, quæ ſine mutatione eſſe non poteſt. Quod verò de cæli, quod lationẽ primam, quia eâ cietur, nominat, immutabilitate ac mutabilitate adiicit, in primo de Cælo copioſè fuit declaratũ. Nec enim ortum illud aliquãdo aut interiturũ, nec augeſcere aut imminui, nec alterari, ſed ſola cõuerſione ſempiternum cieri traditum eſt. Quæ fortaſſe cauſa eſt, vt actus nunc appelletur, quippe quòd perpetuò in actu eſt, & à motu nunquam recedat, vt eius veluti natura & eſſentia motus ille eſſe videatur. Quæ de latione & conuerſione ſimpliciter hîc afferuntur, in octauo naturalis auſcultationis, rationibus multis, longáque verborum ſerie fuerunt demonſtrata. Illud verò eſt animaduertendum, rationem, qua ſubſtantiam immobilem conuerſione cieri non poſſe colligit, cùm ait (hanc autem id efficit) ex eo vim ſuam ſumere, quòd primus mouens, quocunque genere motus moueat, eo, quo mouet, motus genere, moueri non poſsit. Quod in octauo de Naturali auſcultatione eo demõſtratur, quòd ſi moueretur, primus non eſſet, ſed alium ante ſe, à quo moueretur, mouentem haberet. Illud ergo perſpicuum eſt, cùm à ſubſtantia immobili conuerſio efficiatur, cieri eam eo motu non poſſe, quamobrem nec aliis, vt dictum eſt, ob eámque cauſam immutabilem prorſus eſſe & neceſſariam. Quam ſanè immutabilitatem, naturámque neceſſariam in primo de Cęlo præclarè Ariſtoteles expreſsit, cùm diceret ea, quæ extra cælum habitant, nec in loco ſuapte natura eſſe, nec tempore ſeneſcere, nec vllius omnino eorum, quæ ſunt ſupèr extimam lationem, vllam eſſe mutationem, ſed inalterabilia & impatibilia optimam & quæ ſibi maximè ſufficiat, vitam degẽtia ſempiterno tempore manere. his verbis Ariſtoteles ſubſtantiarum immobi-

lium, de quibus nunc eſt diſputatio, conditionem & ſtatum expoſuit ab omni mutatione liberatum: quæ autem optima ſit vita, quam perpetuò degunt, in progreſſu aperietur.

Atque neceſsitas, ſimpliciter eſt: & hoc modo principium. Neceſſarium enim tot modis dicitur, aliud quidem vi, quoniam præter impetum naturæ, aliud ſine quo non rectè: aliud, quod aliter habere non poteſt, ſed ſimpliciter eſt.

Quoniam neceſsitas multiplex eſt, vt in quinto huius operis, & hoc quoque in loco traditur, in qua ſignificatione ſubſtantia immobilis neceſſaria eſſe dicta ſit, exponit, neceſſariámque ſimpliciter & abſolutè eſſe ait: quod neceſsitatis genus id eſſe cenſet, quo res aliter ſe habere non poteſt, qualem ſubſtantiam immobilem eſſe demonſtratū eſt. hoc verò modo ait illam principiū eſſe, hoc eſt, efficiētem rerum omnium cauſam primam, à qua, vt à principio ac fonte omnia proficiſcuntur, mouentur, & conſeruantur, ídque neceſſariò, vt non proficiſci, moueri & cōſeruari non poſsint: quippe cùm principij eius talis ſit natura, vt bonitate ſua ad agendū impellatur, nec magis ab actione poſsit ceſſare, quam à præcellenti bonitate ſua mutari. Neque enim neceſſariū eſt principium, quòd vis ei extrinſecus afferatur, quippe quæ nulla eiuſmodi eſſe poteſt. Non item, ſolùm, quod ſine eo rectè conſtare res non poſsit, vt Alexander & Thomas expoſuerunt: ſed ſimpliciter & abſolutè eſt neceſſarium. ſuapte enim naturâ actus eſt, ita vt ab efficiētia & actione ceſſare non poſſit. Quanquam hanc neceſsitatem illud conſequitur, quòd rectè omnia ſe habeant, quę abſque ea corruerēt, atque ad nihilum reciderent. Illud verò eſt animaduertendum in exemplaribus verba hæc hūc in modum legi, ὡς ἡ ἀνάγκη, καλῶς, &c. quæ Beſſarion ita vertit (& pro vt neceſsitas, bene eſt, & ſic principium) Argyropilus autē (atque vt neceſſariò eſt, bene etiam hoc pacto principium eſt) quarum conuerſionum hæc eſt ſententia, vt ſubſtantia hæc immobilis, qua neceſsitate

neceſſaria ponitur, bene etiam eâdem principium ponatur. Verſio antiqua habet, at neceſsitas bene, & ſic principium eſt. quam ſecutus Thomas ita expoſuit: Neceſsitas (inquit) eius, eſt, ipſum bene ſe habere. Retulit autem ad cælum & motum eius. Quæ omnes interpretationes alienæ mihi viſæ ſunt, & omnino ſententiam Ariſtotelis perturbantes. Itaque conieci loco vocabuli καλῶς, ἁπλῶς legendum eſſe, facilémque fuiſſe ex vno in alterum, lapſum, ob eorum ſimilitudinem. Neque enim quem vſum habeat verbum καλῶς intelligo, præterquàm quòd conſtructio verborum turbatur. Si autem ἁπλῶς, hoc eſt, ſimpliciter legamus, omnia conſentient, planáque erit ſententia. Nihil enim docere aliud vult quàm neceſsitatis genus, quo neceſſaria ſubſtantia immobilis dicitur. Ita, inquit, neceſsitatem eſſe ſimpliciter, & eo modo eſſe principium. Tum cauſam adiicit, quare neceſsitatis genus expoſuiſſet, nempe variam neceſſarij ſignificationem. In poſtremo loco neceſsitatem ſimpliciter ponit, quæ eſt illa qua res neceſſaria aliter ſe habere non poteſt, qualē eſſe ſubſtantiam immobilem docuit.

Ex eiuſmodi ergo principio cælum ac natura pendet.

Ita ab hoc principio vniuerſa pendent, vt, cùm nunc conſeruentur, viuant & perpetuentur, ad interitum profectò, niſi ipſum eſſet, reducerentur. Cæli enim motus, qui ab hoc principio proficiſcitur, generationis ſalutiſque rerū omnium cauſa eſt, vitámque rebus omnibus pro ſua cuiuſque natura impartitur. Ipſum etiam cælum ab illo pendet, veluti corpus ab anima, & nauis à nauta & gubernatore, & omnino id, quod mouetur, motúque ſuo conſeruatur, ab eo, quod mouet. Nec ab eo, vt fine ſolo cælum & natura pendet, quemadmodum multi Ariſtotelis ſententiam eſſe cenſuerūt. Imò verò vt ab efficiente & mouente, atque ſalutem tribuente. Dico autem (efficiente) non quòd tempore aliquo cælum naturámque genuerit, & cùm non eſſent, fabricauerit. hoc enim in primo de Cælo reprobatur, mundúmque ſempiter-

num eſſe demonſtratur: ſed quòd quidam veluti fons ſit, à quo (vt à ſolis ſplendidiſsimo corpore lumen) in omni ſempiternitate mundus fluxerit, manarítque, cùm pręſertim corporea natura, qualis eſt vniuerſi, ex ſeſe aut eſſe, aut conſeruari nullo modo poſsit. Omnia verò ab hoc principio ita pendere, vt per illud & ſint & viuant, in primo de Cælo expreſſè traditur, cùm dicitur, à ſempiternitate immortali & diuina, aliis quidem obſcurius, aliis exactius ipſum eſſe & viuere dependere. Sed perpulchrè author libelli de mundo, quicunque ille fuerit, ſeu Ariſtoteles, cuius nomine editus eſt: ſeu alius quiſpiã, de hac re hunc in modum diſſeruit: Vetus (inquit) fama eſt, & quidem hæreditaria mortalium omnium vniuerſa à Deo, & per Deum nobis eſſe conſtituta. Nec verò vlla natura ſalute, quam ille ferat, orbata per ſe ſufficit, quapropter veteres nonnulli adducti ſunt, vt dicerent, omnia deorum plena eſſe. Et rurſus: Deus ſine dubio ſeruator omnium eſt, & parens eorum, quæ in mundo conficiuntur, non quòd labores ſuſtineat, quales animal, quod in opere verſatur, ſed quod viribus indefeſsis vtatur, quarum beneficio aſſequitur, quæ procul etiã amandata videantur. & alia multa in hanc ſententiam. A quibus ea minimè diſſentiunt, quæ in progreſſu tradẽtur, quicquid boni in vniuerſo eſt, ab hoc principio manare, quippe quòd ordinẽ, qui boni omnis cauſa eſt, rebus omnibus cõſtituit. In ſeptimo autẽ Polyticorum tradit vniuerſum vi diuina contineri, quæ ſententia cum eo cõſentit, quòd Orpheus vetuſtiſsimus ſcriptor dicebat, deos virtutes diuinas eſſe in rebus diffuſas, Deúmq; ipſum id eſſe, quod res format, in rebus diffuſum. Ac vitam quidem rebus omnibus ab illo tribui, ex etymologia vocabulorum Διὸς καὶ ζωὸς, Plato in Cratylo declarauit, nomina eiuſmodi coniuncta Dei naturam inquiens indicare. Quaſi ſit ille δι' ὃν ζῶν omnibus, quæ viuunt, adſit. quippe cùm nihil ſit, quòd magis, quàm ille viuendi ſit cauſa. Rectè ergo hìc dicitur, cælum & naturam ab eo principio, quod neceſſarium eſſe & immutabile traditum eſt, quod quidem, vt pòſt docebitur, Deus eſt, pendere.

Vitam autem degit,qualem nos breui tempore, optimam. In eo enim ſtatu ſemper illud eſt: nos autem eſſe non poſſumus. ipſius nanque actio voluptas eſt,ob eámque cauſam vigilia,ſenſus, intelligentia, & ob hæc ipſa memoria & ſpes plurimum delectant.

AEterni illius & immutabilis principij, à quo cælum & naturam pendere dictum eſt, ſtatum optimũ ac beatum exponere aggreditur. Quod præclarè adeò præſtat, vt eum, quanuis à ſenſu & cogitatione noſtra remotum,veluti depingere, nobíſque ob oculos ponere videatur. Ac primùm quidem docet,talem eſſe ſempiternis tẽporibus illius vitam,qualis optima eſt ea, qua breui tẽpore homines fruuntur. Quam rem eo demonſtrat,quòd principium illud ab actione,quemadmodum antea oſtenſum eſt,nunquam vacet, eiúſque actio maximam in ſe voluptatẽ complectatur. partim quòd actionis omnis id proprium ſit,vt voluptatem afferat, ob eámque cauſam ſenſus, vigilia, intelligentia, & horum ipſorum memoria,ſeu ſpes maximè delectẽt, partim quòd eiuſmodi actio contemplatio eſt, eáque ipſiuſmet principij, quæ actionum omnium iucundiſsima eſt & optima. Quę omnia facilius intelligentur, ſi ea legantur, quæ in decimo Ethicorum ad Nicomachum de optimo ſapientis hominis ſtatu tradita ſunt, quibus hic locus pulcherrimè explicatur. Ariſtotelis ergo ſententia eſt,ſapientis hominis vitam optimam perfectiſsimámque eſſe. qua nulla cuiquam poteſt contingere aut iucundior,aut beatior,quippe quę in rerum omniũ naturalium diuinarúmque, atque etiam ſuiipſius contemplatione poſita ſit. Nam cùm voluptatẽ quibuſcunque actionibus à virtute manantibus in toto illo opere admiſtam eſſe tradidiſſet, eam omnium iucundiſsimam eſſe cenſuit, quæ à ſapientia ortũ habet. Ac voluptates, quas ſapientia homini ſuppeditat, tum puritate, tum firmitate admirandas eſſe. Puritate quidem, quòd cum dolore vllo,quemadmodũ aliæ voluptates, haúdquaque cõmunicent. Firmitate verò, quòd firmiſsimæ omnium

ſint, & nullo modo, aut certè ſumma cum difficultate amoueantur. Hanc ſapiẽtis vitam huius generis voluptatibus affluentem, Lucius Anneus Seneca vir grauiſsimus ac ſapientiſsimus hunc in modum deſcripſit: Sapiens (inquit) ille eſt, qui plenus gaudio, hilaris, & placidus, & inconcuſſus cum diis viuit ex pari. nunc ipſe te cõſule, ſi nunquam mœſtus es, nulla ſpes animum tuum futuri expectatione ſollicitat: ſi per dies noctéſque par & æqualis animi tenor eſt, perueniſti ad hominis ſapientis ſummam. Sed ſi appetis voluptates & vndique & omnes, ſcito tantùm tibi ex ſapientia, quantum ex gaudio deeſſe. Talis eſt ſapientis animus; qualis mundi ſtatus ſuper lunam, ſemper illic ſerenum eſt. hic(Senecę ſententiâ) ſapientis eſt ſtatus, in quo præter rerum cognitionem & contemplationem, affectuum extinctionẽ requirit, ſine qua fortaſſe ne contemplatio quidẽ perfecta eſſe poteſt. Sed ſtatus eiuſmodi breui tempore contingit, propterea quòd & illius acquiſitio longũ temporis exigit interuallum, & multo tempore comparatus citiſsimè amittitur. Quorum hoc quidem ob hominis interitum vſuuenit. Illud verò, quòd & rerum cognoſcẽdarũ innumera propè eſt multitudo, & morales virtutes, quę affectus aut extinguẽdo, aut moderãdo mentem contẽplationi idoneam reddunt, difficillimè cõparãtur: in quibus tamen duobus ſtatus ille optimus cõſiſtit. hanc ergo vitam, quâ breui tempore ſapiens fruitur, ſempiternis ſęculorum ætatibus ſempiternum illud principium agere Ariſtoteles tradit. Et id quidem meritò. Eſt enim principium illud aut ſolum, vt Simonidi & Socrati quoque in apologia apud Platonem placuit, aut certè maximè omnium ſapiens, quod vt perpetuò ſapiens eſt, & à ſapientia ſua nunquam recedit, ita ſtatu illo optimo perpetuò fruatur. neceſſe eſt. Sed Ariſtoteles ad hoc confirmandum rationem affert, quæ & id ponit, quod antea demonſtratum eſt, & pòſt quoque docebitur, videlicet, principium hoc æternum perpetuò agere. Illud præterea aſſumit, actionem eius maximam in ſe complecti voluptatem. Quod autẽ ponit, tum monſtrauit, cùm ſubſtantiam immobilem æternam ſubſtantiâ ſuâ actum eſſe po-

tentiæ omnis expertem docuit. Demõſtrabit verò & in progreſſu, & id quidem demonſtratione huius loci magis propria, cùm hanc ipſam ſubſtantiam, ſeu principium hoc perpetuò ſe contemplari, nec vllo omnino otio detineri declarabit. Neque enim illud queadmodum de Endymione ferũt, dormiat oportet. Quod verò aſſumit, bifariam videtur demonſtrare, vno quidem modo in his verbis ratione concluſa, quæ in omnes actiones communiter patet, altero in progreſſu ratione magis propria, & huic rei accommodatiore. Inquit igitur actionem, eius voluptatem eſſe, ob eámque cauſam vigiliam, ſenſum, intelligentiam, & horum merito memoriam & ſpem plurimum delectare. Quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, Idcirco principium illud æternum vitam optimam & beatam ſemper degit, quòd in perpetua ſit actione, eáque maximam afferat voluptatem: quod quidem ex ratione & natura actionis omnis primùm poteſt intelligi, quippe cùm actio quæuis iucunda ſit, ob eámque cauſam, quòd actiones ſint quædam, vigilia, ſenſus, intelligentia, memoria & ſpes plurimùm delectent. Quòd ſi non omnis actionis cõmunem eſſe rationem velimus, ſed eius, quæ in cognoſcendo conſiſtit, ſeu ſenſu cognoſcamus, ſeu intelligentia, magis propria erit ratio, idémque magis propriè probabit: quanquam id quoque verum eſt, cum omni actione coniunctam eſſe voluptatem. Quod ex eo deprehendi facilè poteſt, quòd animal omne aliquid agere ſemper appetat, nec vlla cõditione quietem ſempiternam poſsit pati, vt ad agẽdum omnino natum eſſe videatur. Idcirco vel infantibus ipſis perſpicuum videre licet, qui conquieſcere nunquã poſſunt, & cùm paululũ adoleuerint, ſaltationibus, curſibus, & aliis huiuſmodi laborioſis ludis totos ſe adeò dedunt, vt ne verberibus quidem ab illis arceri queãt: quod profectò eſſe non poſſet, niſi magnam in agendo voluptatem experirentur. Inertiſsimi quoque homines, quanquã ſingulari quadam ſegnitia ſint præditi, animo tamen & corpore ſemper cernuntur moueri, & cùm nihil quod dignum ſit agant, ludicris tamen colloquiis, ſeu ſermonibus, ludis etiã inanibus, quæ omnia actiones ſunt quæ-

dam,oblectantur: quum ne beſtiæ quidẽ hac,quę in actu conſiſtit,voluptate carẽt, cùm illas motus ſolutos & vagos à natura ſibi tributos ſummo ſtudio requirere atque exercere videamus. Omni itaque actioni voluptatem aliquam permiſtam eſſe perſpectum eſt. Quòd ſi actionis omnis hęc eſt natura, quanto magis illius, quæ in cognoſcendo poſita eſt, ad quam deſiderio quodam naturali omnes ferimur? Iuxta illud Ariſtotelis, Omnes homines naturâ ſcire deſiderãt. De qua actione voluptatéque eam conſequente in progreſſu diſſeremus. Cùm verò vigilantibus nobis munera noſtra obeamus, & in cognitione rerum potiſsimum verſemur, nihílque à nobis niſi ſomno liberis, aut pauca quædam agantur, percipiantúrque, vigiliam iucundam eſſe merito Ariſtoteles tradit. Senſuum enim ſolutio vigilia eſt, quemadmodũ ſomnus eorundem vinculum, quo arctiſsimè detinentur. Quam ob cauſam ſomnum ingratiſsimum eſſe experiremur, niſi quædam corporum quies, laboríſque medicina eſſet. Cùm autem ob requietem, quam nunc corporibus adfert, iucundiſsimo eo aliquando vtamur, Endymionis tamen ſomnum nemo ſibi dari velit, propterea quòd ſomni quancunque iucunditatem actionũ, quæ in vigilia contingunt, voluptas antecellat. hæ autem ſunt, ſenſus, intelligentia, memoria, & ſpes, quæ duo poſtrema duorum priorum merito iucũda ſunt. Memoriæ enim munere, ſenſus & intelligentia, actionéſque omnes præteritæ repręſentantur, ſpe autem futura, quodammodo percipiuntur. De hac re Ariſtoteles in ſeptimo phyſicorũ agit, docétque voluptatem omnem & dolorem aut in actione eſſe, aut in memoria & ſpe. Ac illa quidem quæ ſunt in actione ſenſu haberi, qui ab aliquo ſenſili moueatur: quæ autem in memoria & ſpe, ab hoc proficiſci: aut enim recordantes, quibus affecti ſumus, aut quæ expectamus ſperantes, delectari. hoc igitur, quod in omni actione & cogitatione potiſsimum reperiri conſtat, quanto in principij illius munere excellentius ineſſe cenſendum eſt, cùm in contemplatione illud poſitum ſit, quæ omnium actionum iucundiſsima eſt & optima, vt paulò pòſt docebitur.

Intelligentia autem per ſe,eius eſt, quod per ſe eſt optimum, & quę maximè,eius,quod maximé. Intellectus autem, rei intellectilis apprehenſione ſe ipſe intelligit, quippe qui tangendo & intelligendo intellectilis redditur, vt intellectus & res intellectilis vnum ſit & idem. Quod enim rem intellectilem & eſſentiam recipiendi vim obtinet, intellectus eſt. Agit verò, cùm habet. Illud itaque diuinum, quod habere intellectus videtur, huius eſt magis.

Conciſus valde ac breuis hic locus eſt, propterea non ſatis apertus ad intelligendum. Quantum tamen coniecturâ aſſequi licet, videtur docere, æterni illius principij ſtatum optimum, vitámque beatam, præter ſempiternitatem, qua præditam eſſe traditũ eſt, ſimpliciter vitâ hominis beata excellentiorem eſſe: ſiquidem illud diuinum, quod eſt ſui contemplatio,quod habere intellectus videtur, longè perfectiori modo in illo inſit: quippe cùm illud maximè per ſe cõtempletur, quandoquidem maximè bonum eſt, bonitatíſque altiſsimum habet gradum. Intellectus autẽ hominis non maximè per ſe, imò verò per aliarum formarum, quas intelligendo in ſe accipit,intelligentiam. Intelligentiam enim per ſe eius eſſe, quod optimũ eſt. Eam verò, quæ eſt maximè per ſe eius,quod maximè optimum. quale eſt illud, Quæ omnia facilius intelligentur, ſi ex his quæ partim ſuprà, partim in tertio de Anima tradita ſunt & expoſita, aliqua ad memoriã reuocentur. Traditum autem antea eſt rerum per ſe intellectilium & bonorum eandem ſeriem eſſe, ob eámque cauſam id, quod in rebus per ſe intellectilibus primatum teneret, in bonorum quoque genere locum altiſsimum habere. hinc ſanè efficitur, vt cuius intelligentia maximè per ſe habetur, id optimum neceſſariò, imò verò optimorum maximum ſit,

quemadmodum hîc traditur. Explicatum verò etiam eſt ſubſtantiam immobilẽ & æternam illud eſſe, quòd ſummè intelligi aptum eſſet. Quippe quæ naturâ ſuâ ſimplex eſſet & actus. Itaque rerum omnium intellectilium optimum eſſe. Quo fit vt cùm ipſa ſe contempletur, maximè per ſe eius ſit intelligẽtia. In tertio autem de Anima ratio tota tradita eſt, qua mens tum alia omnia, tum ipſa ſe contemplatur. Atque inter cætera mentem ſe non antea poſſe intelligere, quàm res alias intelligentiâ comprehenderit, earum habitibus ac formis informata. Tum verò cùm voluerit poſſe & illas & ſe contemplari, imò verò illas intelligendo, ſui quoque intelligentiam habere, quippe quæ in rem illam, quam intelligit, quodammodo mutetur, omniáque euadat. Nullam item rem ad contemplandum aggredi, niſi cuius forma à materia, eiúſque proprietatibus intellectus agentis munere abiuncta ſit: eiuſdémque lumine illuſtrata: atque hanc quidem, quæ eſt rei eſſentia veluti lineâ quadã recta primùm intelligere, tum rem totam quadam veluti linea flexa contemplari. hæc ibi tradita hoc in loco ferè repetuntur, quanuis aliis verbis & magis conciſè. E quibus illud perſpicuum fit, intelligentiam, qua ſeipſa mens hominis contemplatur, per ſe quidem eſſe, quanquam hoc quoque nonnullis dubium eſt, non tamen maximè per ſe eſſe, quandoquidem aliarum formarum intelligentiam ſequitur, quod æterno illi principio non accidit, ſeipſum perpetuò abſque alterius rei intelligentia intuenti. Ita ergo ait, Intelligẽtia per ſe, eius eſt, quod per ſe optimum eſt: quæ autem maximè per ſe, eius, quod maximè optimum. quaſi diceret, Non ſolùm ex ratione ſempiternitatis, ſed ex ratione etiam modi intelligendi, quo illud principium æternum præditum eſt, vita, quam degit, optima, hominis beatum ſtatum antecellit. Eius enim intelligentia, qua ſe intelligit, maximè per ſe eſt, ſiquidem maximè optimum eſt. Eiúſque quod maximè optimum eſt, maximè per ſe intelligentia propria eſt: quemadmodum eius, quod ſimpliciter optimum eſt, intelligentia ſimpliciter per ſe eſt. Cùm verò talis eius ſit, qua ſe intuetur, intelligẽtia, eam, qua intellectus humanus

ſe intelligit, dignitate antecedit, quippe qui rei tantùm intellectilis apprehenſione ſe ipſe intelligat. Nam cùm ſuapte natura à ſe poteſtate ſit intellectilis, res alias, veluti tangendo, cùm eas intelligendo, ab illis mouetur, intellectilis actu redditur. Ita vt intellectus & res intellectilis vnum ſint & idē. hoc enim intellectus proprium eſt, rem intellectilem & eſſentiam à materia abiunctam recipiendi, qui idem, cùm illa eſt informatus, agere poteſt, & tum ſe, tum eam contemplari. Quamobrem cùm hæc ſit ratio intelligēdi, qua in ſe intuendo intellectus vtitur, perſpicuum eſt, illud diuinum, quod habet, nempe ſe intelligere, longè præſtantiori modo in principio illo æterno inueniri. meritò autē, ſui intelligentiam diuinam nominat. Nam ſoli menti veluti diuino cuidam principio, vt ſe intelligat & intueatur, conceſſum eſt. Quicquid verò in homine eſt, quod & cum brutis & plantis commune non ſit, diuinum appellare Ariſtoteles ſolitus eſt, vt de ipſa mente multis in locis legimus. Cùm ergo brutorum ſenſus ſe ſentire haudquaquam percipiat, is autem, qui in homine ineſt, aut ſe ſentire vt illorum non ſentiat, aut ſi ſentiat, id mentis, cui complicatus eſt, beneficio eueniat, ipſius intelligentia diuinum quiddam iure vocanda eſt. hęc horum verborum ſententia videtur: niſi dixerimus rationē afferri, qua doceatur, vt perpetuò in ſtatu optimo eſſe non poſsimus, illud autem principium poſsit. Quæ ratio ex eo petatur, quòd primi illius principij, cùm ſit maximè optimum, intelligentia maximè per ſe ſit, ab alio, quod extrà ſit, minimè profecta, ita, vt perpetuò in ea eſſe poſsit, vtpote à nullo pendens: humani autem intellectus, qui ſe intelligit, intelligētia extrinſecus ſumatur. quippe, qui ſe minimè intelligat, niſi rerum aliarum intellectiliū apprehenſione, quemadmodum expoſitum eſt. Itaque perpetuò in ſui intelligentia verſari non poſſit, ſed tum ſolùm, cùm rerum aliarum habitibus & formis eſt informatus. Porrò intelligentiam, quæ in primo illo eſt & æterno principio, hominis intelligentia longè pręſtantiorem eſſe in decimo Ethicorum Ariſtoteles tradidit. Quo argumento vſus eſt ad docendum, vitam deorum perfectè, cu-

mulatéque beatam eſſe: hominum autem, qui ab illorum intelligendi ratione plurimum deficiunt, beatitudinem talem eſſe ſolere, vt ad illam deorum contẽplationem deorũ quiſque proximè accederet.

Atque contemplatio, iucundiſsimũ,optimúmque eſt.

Bifariam hic locus videtur exponi poſſe:aut enim de contemplatione, qua primum principium ſe contemplatur, aut de contemplatione ſimpliciter & abſoluté. Primo modo Alexander interpretatur, veriſsimúmque eſt,quod dicitur, & ad illud quod iam docere inſtituit,principium illud æternum in optimo ſemper & beatiſsimo ſtatu eſſe,confirmandum accommodatum. Quæ enim maior, eadémque melior voluptas,aut delectatio eſſe poteſt eâ, quam deus ſe contẽplando, atque fruendo percipit? quod cùm perpetuò faciat, ſempiternis temporibus vitam illam optimam, qualem nos exiguo tempore degat neceſſe eſt. Altero modo ſi exponatur, vt alij quidam docti viri expoſuerunt, ratio erit ex contemplatione ſimpliciter ducta ad illud ipſum, quod diximus, docendum. Nam ſi contemplatio eâ ſit natura,vt voluptatem maximam & bonitatem in ſe contineat,actióque primi & æterni principij contemplatio ſit,eadémque perpetua & præſtantiſsima, ſtatum illius beatiſsimum eſſe ſemper conſequitur. Sed vtro modo locum hunc intelligamus, alienum ab eo non erit, ſi ſummam illam, quæ in contemplatione poſita eſt, iucunditatem paucis aſtruamus. Vnumquodque propria ipſius actione maximè delectari conſpicimus. Vt ſi rebus naturæ omnibus ſenſus ineſſet ex calefactione ignis, aqua ex frigefactione, & alia eiuſmodi ex propriis ipſorum actionibus, maximam profectò caperent voluptatem: quod quidem nunc vſu non venit, cùm ad animam ſolam, eámque ſentientem vel intelligentem voluptas pertineat. Hoc verò quod dicimus,tum ex cõmuni ea, quæ in omnes actiones patet, antea explicata eſt ratione,tũ verò ex eo quod in primo Ethicorũ Ariſtoteles docet,voluptatem cuique eſſe quod quiſque amat,

propriámque actionem vnumquenque amare, patet confirmari. Id ſi ita habet, cùm nulla alia mentis ſit actio, niſi contemplatio, magnam in ea voluptatem capiat, neceſſe eſt. inde hominis fœlicitatem in ipſa cõtemplatione poſitam eſſe, ac eouſque peruenire, quoad ipſa progreditur, eiúſq; bruta expertia eſſe in Ethicis traditur: quod minimè fieret, niſi eos, qui contemplantur, maxima perfunderet voluptate, quandoquidem fœlicitas omnium rerum optima eſt & iucundiſſima. Nec verò maximarum rerum ſolùm vt cęleſtium & diuinarum contemplatio iucunda eſt, ſed earum etiam, quas viles, & nullius ſæpe momenti exiſtimamus, tantas excitat voluptates, vt nihil ſuauius iucundiúſque in vita excogitari poſſe videatur. Quod Ariſtoteles in primo de Animalium partibus pulcherrimè explicauit. Cùm enim ſubſtantias naturâ conſtantes in ingenitas immortaléſque ſęculis omnibus & res, quæ oriuntur & occidunt, diſtribuiſſet, prioréſque illas minus quàm poſteriores contemplari nos poſſe eo docuiſſet, quòd illarum pauca quædam ſub ſenſus noſtri obtutum cadant, harum verò natura propè tota ſenſibus ipſis obiecta ferè videatur, vtriuſque generis ſtudium atque contemplationem nos maximè delectare (quanquam illud primum magis) aſſeuerauit. Quod autem in animantium genere aliqua ſenſui noſtro minus grata (vt viliſsima quæque animalia) cernerentur; ob eámque cauſam moleſta potius, quàm iucunda rerum contẽplatio cogitari poſſet, eam quoque infinitis voluptatibus præditã eſſe docuit. & tum ſimilitudine pulcherrima, tum ſapienti quodam Heraclyti dicto cõfirmauit. Abſurdum (inquit) eſt, nulláque ratione probandum, ſi rerum naturalium imagines non ſine delectatione propterea inſpicimus, quòd ingenium, quòd illas aut finxerit, aut pinxerit, vnà contemplemur. Rerum autem ipſarum admirando naturæ ingenio atque ſolertia conſtitutarum cõtemplationem non magis perſequamur, atque exoſculemur, modò cauſas perſpicere valeamus. Quamobrem viliorum animalium diſputationem perpenſionémque faſtidio quodam puerili ſpreuiſſe, moleſtéque tuliſſe, dignum nequaquam eſt, cùm nulla

res ſit naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Quod Heraclitum ad eos dixiſſe ferunt, quos cùm alloqui eum vellent, & quòd in caſa furnaria caloris gratia ſedentem vidiſſent, minimè ingrederentur, introire fidentes iuſsit: Quoniam (inquit) ne huic quidem loco deſunt dij immortales. hæc atque ſimilia Ariſtoteles. Ex quibus intelligere maximam etiam in rerum viliſsimarum contemplatione voluptatem ſentiri. Quod ſi ita habet, quanto maior in nobiliſsimis præſtantiſsimiſque rebus contemplandis percipiatur, neceſſe eſt. Ac illa quidem eò profundior atque intenſior, quò perfectius atque exactius ſub ipſam res cadunt, vt tota ipſarum natura penitus inſpiciatur. Quod cõtemplandi genus cùm primi illius & æterni principij ſit, quippe quod ſeipſum omnium, quæ ſunt, præſtantiſsimum atque nobiliſsimum modo perfectiſsimo atque exactiſsimo contemplatur, maximâ profectò; qua nulla maior poteſt intelligi, perfundatur voluptate neceſſe eſt. Verùm enimuero primi illius principij fœlicitatem, optimúmque ſtatum in contemplatione poſitum eſſe, in decimo Ethicorum Ariſtoteles docuit: cùm oſtẽdiſſet in moralibus virtutibus, cuiuſmodi hominum vita beata eſt, eſſe non poſſe, quãdoquidem Deus moralium virtutum actionem nullam poteſt efficere.

Si igitur ita, vt nos aliquando, Deus perpetuò bene habeat, admirabile eſt, admirabilius verò, ſi melius. At ita ſe habet.

Ex his, quæ de optimo primi principij ſtatu tradita ſunt, duo concludit: ex optimi quidẽ eiuſmodi ſtatus, qui ad breue tempus hominibus adeſt, ſempiternitate, principij ipſius admirabilitatem, ex maiori autem, quàm hominis ſit, eiuſdem ſtatus perfectione & excellentia atque bonitate, maiorẽ admirabilitatem. Nec profectò iniuria, quando eos, quos ad rerum multarum (ne dicam omnium) contemplationem perueniſſe aliquando, vt Ariſtotelem, Platonem, & alios eiuſmodi diuinos homines adeò mirari ſolemus, vt nihil in rerũ

vniuerſitate admirandum magis occurrat. Quantam igitur admirabilitatem Deus habeat, qui in contemplatione perfectiſsima, quâ homines breui tempore, nec perfectè fruuntur, omnibus ſæculorum ætatibus verſetur. Nam quanuis in primo Ethicorum ad Nicomachum rem nullam temporis diuturnitate perfectiorem reddi contra Platonem traditum ſit, ſempiternitatem tamen tempore ipſo, tametſi immēſo, præſtantiorē eſſe nemo, arbitror, negabit. Quod etiam in primo Analyticorum poſteriorum, cùm demonſtrationis vniuerſæ maior, quàm eius quæ ex parte eſt, præſtantia eſſe traditur, Ariſtoteles cōceſsit. Illud verò hoc in loco obſeruandum videtur, ſubſtantiam illam, quam æternam eſſe, immobilem, ſuapte natura actum, omnis materiæ expertem, vt res, quæ amatur, ſolet, mouentem, neceſſariam, immutabilem, principiúmque, à quo cælum & natura pendeat, in optimo ſtatu ſemper manentem, hactenus monſtrauit, θεὸν, hoc eſt, Deum, nunc primùm nominare, quaſi hoc nomine omnibus hominibus & ſæculis colendo ſubſtantiam nullam appellare par eſſet, cui non omnia, quæ commemorata ſunt, congruere monſtratum prius fuiſſet. Eſt autem vocabulum θεὸς (vt Ariſtoteles in primo de Cælo, & Plato in Cratylo tradunt) ἀπὸ τοῦ θεῖν, hoc eſt, currere ductum, cæleſtibúſque corporibus, quæ in quodam quaſi curſu perpetuo verſantur, ab iis primum tributum, qui nullos alios deos, præter cæleſtia illa corpora eſſe arbitrabantur. tum aliis omnibus diis accommodatum, qui à poſterioribus traditi fuere. Sunt & alia ipſius Dei nomina complura, quæ (vt in libro de Mundo traditur) ex operibus, quæ eius maximè ſunt propria, accipit. Quemadmodum ſunt ζηνὸς καὶ δίος καὶ κρόνου vocabula, quorū duo priora à veteribus inuenta ſunt, vt eum eſſe deſignarēt, per quem viuimus: tertiū verò, quod ex ſæculo, fine carente in aliud regat. Pleraq; etiā alia nomina liber ille exponit, vt ἀστραπαῖος, βρονταῖος, αἴθριος, αἰθέριος, & quibus Parcæ nominari conſueuerunt, quorum omnium cauſas adfert ab etymologia deſumptas.

Quinetiam vita eſt: Actio enim mentis vita eſt, ille verò actio. Eius autem actio, vita optima eſt & ſempiterna. Optimum verò ſempiternúmque animal Deum eſſe dicimus. Vita itaque ac æuo continuato atque perenni fruitur Deus.

Optimum Dei ſtatum, eiúſque maximam admirabilitatem explanare perſequitur: cùm verò ex vita hominis beata illius excellentiam indicaſſet, nunc ex vitæ ratione id ipſum declarat, vitam ipſam illum tradens eſſe, eámque optimam & ſempiternam, vitáque & æuo perenni ac continuato frui. Quandoquidem optimum ſempiternúmque animal Deus dicitur. Quibus verbis Dei præſtantiſsima natura explicari melius, & ſub oculos veluti poni non poterat. Illud verò meminiſſe oportet, vitam ſeu viuere multis modis dici, vt in ſecundo de Anima Ariſtoteles prodidit: aut enim ex vi, quam vegetatricem nominant, viuere contingit, aut ex ſenſu, aut ex mente. Omnia ſanè, quæ vegetatricem vim obtinent, cuiuſmodi ſunt plantæ, & animalia mortalia, eâ viuere imprimis dicũtur, tum verò & aliis facultatibus, quas vnumquodque accepit. Bruta quidem ſenſu, homines & ſenſu & mente. Quæ autem vim illam non habent, quemadmodũ Deus & ſubſtantiæ omnes diuinæ mente duntaxat, quæ ſola in eis inuenitur, viuunt. Quamobrem cùm Deus mens ſit non viuere ſolùm, ſed ipſamet vita, vitæque principiũ dicitur: præſertim cùm ipſe ſua ipſius ſit actio. quippe cùm nihil in ipſo ineſt, quod Deus non ſit, idémque ſunt in eo id, quod intelligit, quod intelligitur, & ipſa intelligentia, quemadmodum in progreſſu docebitur. Porrò Deum vita optima, eadémque ſempiterna præditum eſſe eo, quod cõmuniter de ipſo Deo ſentire homines ſolerent, confirmat. Quod quidẽ eſt Deum animal eſſe optimum & ſempiternum. hoc ſi ita eſt, vita illi profectò ineſt optima & ſempiterna. Siquidem quodcunque animal vitæ eſt particeps, eóque præſtantioris, quo præſtantius eſt animal. Erat verò communis opinio, deos animalia

quædam optima eſſe, cùm alij cæleſtia corpora, alij Iouem, Mineruam, & ſimiles deos eſſe, vt in Eutidemo & Epinomide apud Platonem videre licet, exiſtimarent. Alexander verò arbitratur, Deum his verbis definiri, quod quidem etſi defendi poteſt, non tamen probabile multum eſt. Animal nanque propriè ex corpore & anima concretum eſt, quod Deo minimè congruit, quem ſubſtantiam ſimplicem actúmque potẽtiæ expertẽ eſſe Ariſtoteles definiuit. Priori autem expoſitioni loquẽdi, quo vſus eſt, modus videtur aſtipulari: Optimum (inquit) ſempiternúmque animal Deum eſſe dicimus, hoc eſt, dicere communiter ſolemus. Sed vtro modo res habeat, colligit, Deum ipſum vitâ optima ac æuo continuato & perenni frui. Quod etiam in primo de Cælo prodiderat, cùm extra cælum nihil eſſe, neque corpus, neque locum, nec inane, nec tempus monſtraret: quandoquidem ea, quæ illic ſunt, nec in loco eſſe, nec tempore ſeneſcere apta ſunt, nec eorum vllius omnino vlla eſt mutatio. Imò verò nullis alterationibus, nullíſque omnino mutationibus obnoxia, optimam in vniuerſa ſempiternitate vitam, & nullius rei indigam degũt. Quo etiã in loco quid vocabulo αἰῶνος, hoc eſt, æui ſeu ſempiternitatis, eius allatâ etymologia pulcherrimè explicatur. Finis (inquit) totius vniuerſi, & qui tempus totum infinitum, infinitatémque ipſam continet, αἰών ἐστιν ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι εἰληφὼς τὴν ἐπωνυμίαν, ἀθάνατος, καὶ θεῖος. Itaque cenſet eum dictum eſſe, quòd ſemper ſit, ob eámque cauſam alio nomine ſempiternitatem appellamus. Sed prætereundum non eſt, aliam eſſe Dei ſempiternitatem, de qua nunc agitur, aliam, quæ cæleſtibus corporibus tribuitur. Dei ſempiternitas totum tempus eſt ſimul acceptũ, in quo ſimul, veluti quodam in momento, Dei ſubſtantia, virtus, & actio tota abſque vlla eſt omnino ſucceſsione. Cæleſtiũ verò corporum ſempiternitas totum quidem tempus comprehendit, cùm nullo non tempore (Ariſtotelis ſententiâ) illa fuerint, futuráque ſint, ſed non eorum tota virtus, actio, motióque ſimul eſt, quin potius in quodam quaſi fluxu conſiſtit. Præter has æui ſpecies duas, ſingulæ etiã res mortales & caducæ

æuum ſuum, Ariſtotele authore, obtinent. quod verè & propriè ęuum non eſt, ſed veri & proprij veluti imago. Cùm verò dixiſſet Ariſtoteles, Deum vita ac æuo perenni frui: adiecit, hoc enim Deus eſt: quaſi diceret, Dei vocabulo nullam aliam notionem ſubiectam intelligimus, quàm eius, quod eiuſmodi eſt, quale deſcriptū fuit, quod in omni ſempiternitate vita optima & beatiſsima fruitur. Quam Dei vitam beatiſsimā Lucretius in primo ſui poematis ita cecinit:

Omnis enim per ſe Diuûm natura neceſſe eſt
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur.

Quicunque verò id, quod optimum eſt & pulcherrimum in principio non eſſe, propterea quòd plantarum ac animalium principia & cauſæ quidem ſint, quod autem pulchrum & perfectum in iis ſit, quæ ex eis conſtant, velut Pythagorici & Leucippus cenſent, ij non rectè exiſtimant. Semen nanque ab aliis quibuſdam eſt, quæ antecedunt, perfectis, ídque, quod primum eſt, ſemen non eſt, ſed quod perfectum. Quemadmodum ſemine priorem hominem diceret aliquis, non eum, qui ex eo genitus eſt, ſed aliū, à quo ſemen.

Principiū primum, optimum, præſtantiſsimúmque eſſe demonſtratum eſt. huic concluſioni aduerſari videbatur ſententia quædam Pythagoricorum, atque etiam Leucippi, qua ſentiebant, id, quod principium eſt, optimi & præclari rationem habere non poſſe, vt aliquid principiū eſſet, idémque optimum. Quam ſententiam Ariſtoteles in his verbis redarguit, rationem, cui nitebatur, diſſoluendo. Ratio autem ex eo petebatur, quòd genitale ſemen & menſes muliebres, quæ ſunt animalium & plantarū, principia optima non eſſe intuerentur: ſed cùm ipſa imperfectum quiddam ſint &

impolitũ, longè præſtantius eſſe: naturámque abſolutam & perfectã magis id habere, quod ex illis principiis procreatur. hanc rationem inanem eſſe Ariſtoteles docet, quippe quæ verum primúmque principium optimum non eſſe non concludat: ſed id tantùm, quod aliquo modo principij obtinet ſpeciẽ. Neque enim ſemen, è quo ſtirpes & animalia gignuntur, primum illorum eſſe principium: ſed illud à quo ſemen deciſum fuit, ſiue animal, ſiue planta. Cùm autẽ hæc perfecta ſint & abſoluta, nec his, quæ progignũtur, vllo modo deteriora, nihil officere quominus, quod principium eſt, idem optimum eſſe poſsit. hæc contra Pythagoricos. quorũ ſententiam fortaſſe quis tutabitur, principij inquiens vocabulum latè patere, vt ipſemet Ariſtoteles in quinto huius operis prodidit. Inter alias autẽ eius ſignificationes hanc vnam eſſe, vt id ſignificet à quo inſito rei efficiẽdæ effectionis initium ſumitur, quale eſt fundamentum in domo, carináque in naui. hoc verò principij genus optimum, aut melius perfectiúſque eo, quod procreatur, eſſe dici non poſſe. Atque hoc principium illos intellexiſſe. ſed fortaſſe non diſtinxerunt, & principiũ ſimpliciter pronuntiarũt, ob eámque cauſam reprehenſionis occaſionem Ariſtoteles ſumpſit. Aliqui id principium, quod nunc diximus, ipſe quoque minus perfectum, quàm res ex eo orta cõcedit, cùm ait, quæ priora ſunt ortu, perfectione poſtremũ locum obtinere. Illud verò animaduerſione dignum eſt, quod etiam Auerrois annotauit, res, quæ gignuntur, duplici genere contineri: aut enim à ſibi ſimilibus procreari, aut ab his, quæ naturam diuerſam, alteriúſque generis acceperunt. Priores eandẽ planè, quam procreatores perfectionem atque abſolutionem habent, reliquæ à gignendi principio plurimum ſuperantur, tantùm abeſt, vt eo perfectiores ſint & meliores. Illarum enim principium & cauſa agens, vi, quæ in ſemine ineſt, proportione reſpondet.

Illud itaque, ex his, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, ſubſtantiam aliquam immobilem & ſempiternam, atque à rebus, quę ſub ſenſum cadunt, exi-

ſtere. Illud verò etiam demonſtratũ eſt, nulla magnitudine eam conſtare, ſed partibus vacare, & indiuiduam eſſe, ídque eo, quòd infinito moueat tempore, nihílque finitum vi infinita præditum ſit. Cùm enim magnitudo omnis aut finita ſit, aut infinita, finitâ quidem ob hanc cauſam conſtare non poteſt, nec item infinita. Quoniam omnino magnitudo infinita eſſe non poteſt. Atqui & impatibilem & omnis alterationis expertem, quandoquidem aliæ omnes motiones, eâ, quæ loci eſt propria, ſunt poſteriores. hæc igitur cur ita habeant manifeſtum eſt.

Breui epilogo omnia complectitur, quæ de Deo hactenus demonſtrauit. Cúmque ſubſtantiã ipſam immobilẽ ac ſempiternam magnitudinis expertem eſſe, & omnino corpore vacare virtute ſolùm, non item apertè & re ipſa demonſtraſſet, hoc ipſum nunc perficit, demonſtrationémque ex motu ſempiterno, quem ab illa effici traditum eſt, concludit. Quæ demonſtratio (vt patet) eiuſmodi eſt: Subſtantia immobilis motu ſempiterno cælum ciet. Vi igitur infinita, qua ſempiternum illum faciat motũ, prædita eſt. Quapropter magnitudinis corporíſque expers ſit, neceſſe eſt. Nam ſi magnitudine conſtet, aut finitam illam magnitudinem, aut infinitam, & nullis limitibus circunſcriptam eſſe oportet, quorum neutrum eſſe poteſt: non quidem infinitam, quandoquidem illa omnino non eſt: non item finitam, quippe cùm vis infinita in magnitudine finita eſſe non poteſt. nullius igitur magnitudinis particeps eſt. Hæc in his verbis concluſa demonſtratio eſt, quam in octauo naturalis auſcultationis longa oratione rurſus tractauit: idque præſertim, cui maximè ea nititur, vim infinitam in magnitudine finita eſſe non poſſe. Nam quod infinitam magnitudinẽ non exiſtere aſſumitur,

tum in tertio eiuſdem operis, tum verò in primo de Cælo multis rationibus oſtenſum eſt. Porrò fieri non poſſe,vt magnitudo,ſeu corpus finitum vim infinitam in ſe obtineat, eo Ariſtoteles monſtrauit, quòd finitam illam magnitudinem vis illa nullo in tempore poſſet mouere. Itaque aut nulla omnino motione eam cieret,aut certè in temporis puncto,quod motus naturæ aduerſatur, qui niſi in tempore aptus eſt fieri. At verò illorum alterum conſequi, eam ob cauſam docuit, quod qui vim infinitam corpus finitum in tempore aliquo motu ciere affirmaret,in id incommodum incideret,vt idem quoque finitum corpus in eodem temporis interuallo à vi finita moueri poſſe, quod perabſurdum eſt, fateri cogeretur. Id enim tempus, in quo finitam magnitudinem vis infinita mouet, ſi vnius horæ aut minus etiam tempus ſit, centum verò, aut mille, aut etiam plurium annorum ſit interuallum, quo magnitudinē eandem, aut æqualem finita vis moueat (plus enim temporis minor virtus ad idem interuallum conficiendum,quàm maior conſumit) finitæ illi virtuti vim maiorem, finitam tamen, euſque adiici poſſe, quo ad eam tandem perueniatur, quæ finita cùm ſit, vnius tamen horæ ſpatio, aut etiam minori, quo infinita mouere ponebatur, mouebit. Quamobrem in eodem, aut æquali temporis interuallo finitam vim per idem interuallum finitum corpus mouere poſſe, in quo infinitam mouere ponitur. Et hoc quidem (vt dictum eſt) perabſurdum eſſe, nullóque modo fieri poſſe, quippe cùm finita & infinita vis nulla inter ſe proportionis conſenſione iungantur. Proinde quemadmodum aſsignari non poteſt, quanto vim finitam infinita excedat, ita nec quanto minus illud ſit tempus, in quo infinita vis mouet, eo in quo finita. Momentum itaque ſeu punctum temporis eſſe, cuius ad tempus etiam minimū nullam eſſe proportionem perſpectum eſt, quemadmodum nec puncti ad lineam. hæc libri octaui de naturali auſcultatione demonſtratio eſt, qua vim infinitam in magnitudine finita eſſe non poſſe, ob eámque cauſam primum omnium mouentem immobilem vi infinita præditum magnitudinis expertem eſſe

monſtratum eſt. Illud enim pro comperto, tam illic, quàm in hiſce verbis aſſumptum eſt, motum ſempiternum, niſi à vi infinita effici non poſſe. Sed magnæ inter Peripateticos (noſtra præſertim memoria) controuerſiæ de eiuſmodi demonſtratione exortæ ſunt. Cùm enim duo infinitatis genera eſſe animaduerterent, vnam, quam vigoris infinitatem nominant, quæ nullis limitibus circunſcripta, quancunque vim finitam infinitè exuperat, & in quouis tempore quanuis minimo, imò etiam momento quemlibet motum, niſi eius natura aduerſaretur, ſuapte natura poſsit efficere. alteram, quã durationis appellant infinitatem, qua quicquid prȩditum eſt, infinitis ſæculis durat. nec vllo vnquam tempore labefactatur, perpetuóque agit, ſi ex eorum ſit numero, quæ agere aliquid & moliri apta ſunt, etſi eius actio terminos habeat, quos, quia finitam vim habet, præterire non poteſt. Cùm inquam hoc duplex infinitatis genus eſſe intuerentur, illáque inter ſe diſtincta eſſe cenſerent, vtrum illorum ſubſtantiȩ immobili in demonſtratione ſua Ariſtoteles tribuiſſet, magna diſſenſione diſputare incœperũt, aliis infinitatis durationem ſolùm, aliis non eam ſolùm, ſed etiam vigoris tributam eſſe contendentibus, aliis minus audentioribus, cùm paria rationum monumẽta vtrinque eſſe exiſtimarent, ab vtraque parte aſſertionem ſuſtinentibus: & quodnam infinitatis genus Ariſtoteles intellexiſſet, difficile eſſe diiudicare defendentibus. Nam ſi de primo genere, hoc eſt, de infinitate vigoris eum locutum dicerent, eius rei rationem non ſatis efficacem videri, quippe quȩ non aliũde peteretur, nec re alia vlla vim Dei infinitam Ariſtoteles monſtraret, quàm quod ſempiternam motionem efficeret, quod ſupremæ etiam ſphæræ cõuenit. Quæ cùm vim finitam habeat, omnes tamen alias ſphæras ſempiterno tempore ſecum rapit & verſat. quamobrem ad motum ſempiternum faciendum vigoris infinitatem neceſſariam non eſſe: præſertim cùm & aliarum ſphærarum mouentes propriis motionibus, & ex ſe ipſas ſphæras perpetuò mouerent, quas ſimiliter vigoris infinitate præditas eſſe (quod non videtur) concedere oporteret. Id etiam

conſequi aiebant, quod contra motus naturam cùm ſit, tanquam incommodum in demonſtratione cócluditur, motum nullo tempore factum iri. Nec enim obſtare, quòd à magnitudine ſeiuncta vis hæc ponatur. Nam in magnitudine & extra magnitudinē ſi infinita ſit, eandem eſſe, non maiorem in magnitudine, minorē extra illam, ob eámque cauſam eadem moliri efficeréque poſſe. his & aliis argumentis adducti hi, quos poſtremo loco cōmemoraui, vigoris infinitatem ſubſtantiæ immobili tributam eſſe, concedendum non putauerunt. Sed ſi alterum infinitatis genus ſolùm intelligerent, in alias non longè minores difficultatis delabi ſeſe intuebantur. Cùm & à vero alienum id videretur, vim perpetuo tempore durantem, in magnitudine finita eſſe non poſſe, ſiquidem cælum magnitudo eſt perpetuò duratura, & vt verum eſſe concederetur, eam tamen, qua confirmatur, rationē nullum omnino momentum habituram. Eò enim confirmari, quòd nullo in tempore motus fieret, quod conſequi non poteſt, ſi de vi perpetuò duratura intelligatur. quandoquidem vis finita etſi perpetuò duratura, motum in tempore neceſſe eſt faciat. Ita his difficultatibus victi neutri parti aſſenſerūt, rem ipſam ſub iudice relinquentes, cùm alij audentiores huic aut illi parti (vt quæque probabilior viſa eſt) aſſenſum præbuerint, ſingula Ariſtotelis verba ad ſententiam ſuam trahendo, & rationes, quæ obſtabant & contrarium docebant, quo modo melius facere potuerint, diſſoluendo. Sunt autem hac de re ab his, de quibus loquimur, quamplurima ſcripta, quæ, ne ab interpretis munere recedamus, quod vnum eſt, authoris ſententiam, quàm maximè fieri poteſt, planè explicare, prætermittenda eſſe, paucis quibuſdam exceptis, arbitramur. Quamobrem in id nobis incumbendum eſt, vt quæ Ariſtotelis fuerit ſententia, explanemus, & quę aduerſari potiſsimum videntur (quanquam fortaſſe hoc interpretis munus excedat) ne omnino indiſcuſſa, ac dubia res relinquatur, breuiter diluamus, prolixiori diſputatione in alium locum reſeruata. videtur ergo Ariſtoteles infinitatem vigoris in demonſtratione ſua intellexiſſe, partim, quod in vi, quæ ex ſe

perpetuò aliquid mouet, ſeparari infinitâs eiuſmodi fortaſſe non poteſt, tametſi in aliis, quæ aut non mouent, aut alterius efficientiâ, duo hæc genera infinitatis manifeſtè inter ſe abiungantur: partim quòd ratio illa, quæ motum nullo in tempore factum iri, ſi vis infinita in magnitudine finita ſtatuatur, demonſtrat, aliter momentum & efficacitatem non habet, quàm ſi de vigoris infinitate ſit ſermo. At vigoris quidem infinitatem ab infinitate durationis, in his, quæ ex ſe ſempiternum motum efficiūt, non ſeparari, probabile admodum (ne dicam neceſſarium) videtur. Quì enim fieri poteſt, vt vis aliqua ex ſe perpetuò aliquid moueat, & id quidē rata conſtantíque & immutabili motione, niſi infinitate ſit prædita? An non vim limitibus circunſcriptam & finitam fatigari, & aliquando mouere vltrà non poſſe, rationi eſt cōſentaneum? Eorum enim mouentium, quorum vis finita eſt, vt animalium, motum terminatum eſſe conſpicimus, vt vltra certum temporis ſpatium, niſi quies intercedat, protrahi non poſsit. Nam quod primus cæleſtis globus alios, qui ſubſunt, ſempiternis temporibus circunuoluat, idémque, cùm corpus ſit terminatum, finitam vim poſsideat, nihil omnino officit, quippe cùm ex ſe id non præſtat, ſed ex primi Dei virtute infinita, qui & ipſum & alios rata illa & cōſtanti volubilitate conuerſat. Vigoris itaque infinitâs in eo, quod agit, ſuáque ipſius non alterius vi actionem, aut motum efficit, ab infinitate durationis abiungenda minimè videtur. Sed quanquam abiungi poſſe, vt aliis, qui de re hac diſſerunt, placet, concederetur, illud tamen reſtat, Ariſtotelis rationem, qua vim infinitam in magnitudine finita non eſſe demonſtrat, efficacitatem nullam habituram. Nam ſi vigorem finitum, quanquam maximum, qui perpetuò moueat, in magnitudine ſtatuamus, non id profectò efficietur, vt illam magnitudinem nullo in tempore moueat, ſed pro vigoris illius magnitudine in tempore aliquo tametſi paruo mouebit. Quæ enim ratio maior afferri poteſt, vt cum corpore coniuncta vis illa finita, quæ perpetuò mouet, motum in momento efficiat, ab illo autem ſeparata non faciat? Nunc enim non fa-

cit, quippe quæ viginti quatuor horarum ſpatio cælum conuertit. Sunt verò nonnulli, qui aiunt, virtutis, quæ in corpore ſit, & eius, quæ eodem vacet, diuerſam eſſe rationẽ: corpoream enim virtutem perpetuò durantem, mouentémque infinito quoque vigore præditam eſſe oportere, quę contrariis interimere eam nitentibus reſiſtere valeat. quæ ſi magnitudinis aut corporis ſit expers, contraria nulla habituram, quorum actionem pertimeſcat. itaque ſæculis omnibus, etſi vigoris ſit finiti, duraturam, nec motum in momento, aut nullo in tẽpore effecturam: quod facere cogetur, ſi in magnitudine ſtatuatur. hoc, vt mihi quidem videtur, ingenioſè ſatis & ſubtiliter inuentum eſt, ſed tamen quæſtioni non ſatisfacit. Qui enim in magnitudine Deum poneret, corporeúmque eſſe affirmaret, eius generis corpus, quod contrariis inter ſe pugnantibus, & ad interitum ducentibus, teneretur, ei profectò non tribueret: at diuinum, immortale, omnium contrariorum expers, nullíque ortui aut interitui obnoxium, quale cęleſte eſſe Ariſtoteles tradit. Vi itaque infinita, quæ contrariis interimentibus reſiſteret, cùm nulla eſſent talia, non egeret, ſed finitate ſua contentus, eandem omnino, quam nunc à corpore liberatus, efficeret. Vt ergo Ariſtotelis ratio aliquod in ſe habeat momentũ, & id, quod vult, concludat, de vigoris infinitate videtur eſſe intelligenda. At in eaſdẽ anguſtias (dicet aliquis) ſi hoc ſtatuerimus, inducemur. Cur enim Deus, cuius vim infinitam ponimus, magnitudinis expers, momentaneam motionem non faciet, quam tamen effecturum, ſi cum magnitudine coniungatur, Ariſtotelis ratio concludit. An fortè, quia magnitudinis expers ſtatuitur, vis eius eſt imminuta, aut ab aliquo impedita, vt ob eam cauſam tam velocem citatámque motionẽ, ac ſi in magnitudine ineſſet, non facit? Id verò nemo (vt arbitror) proferet, quandoquidem minor effecta, infinita non eſſet, qualem eſſe defendimus: nihílque prorſus eſt, à quo impediri aut retardari poſsit. quid enim tantæ efficacitatis eſſet, vt infinitæ virtuti reſiſteret? hæc profectò magni momenti eſt, atque explicatu difficilis ratio, quæ multos in eam ſentẽtiam (vt di-

ximus) adduxit, vt Dei vim motricem finitam eſſe exiſtimarent: metuentes, ne ſi infinitam faterentur, motionem momentaneam ab illa effectum iri concedere cogerentur, cùm præſertim Deum naturaliter mouere, & proinde quantum poſſet, vt mouentium naturalium mos eſt, putarent. Nonnulli autem huic rationi ita occurrerunt, vt dicerent, præter ſubſtantiam immobilem, hoc eſt, Deum à magnitudine ſeparatum, alium quoque mouentem eſſe vi finita præditum, nempe cæli animam & formam. Ac cæli quidẽ motionem finitam, hoc eſt, eam, quæ viginti quatuor horarum ſpatio conficitur, ab eiuſmodi anima vires finitas obtinente proficiſci: eius autem ſempiternitatem & cõſtantiam perpetuam à ſubſtantia immobili. Itaque motum momentaneum minimè eſſe extimeſcendum, quem fieri oporteret, ſi in magnitudine vis illa infinita ineſſet. quippe quæ eius magnitudinis forma eſſet, & eam, quantum poſſet, formarum naturalium more cieret, cùm nunc non vt forma, nec vt anima moueat, ſed vt ſeparata quædam ſubſtãtia, quæ animam cæli ad mouendum, vt optimum quoddam, & expetendorum maximum, præterea quidam veluti imperator impellat perpetuò, motioníque cæleſti ſempiternitatem eo modo largiatur. Atque hæc videtur Auerrois fuiſſe ſententia, eámque ab Alexandro, qui animam eiuſmodi in cælo ſtatuit, deſumpſiſſe. Sed non ſatis à difficultate, quæ hoc in loco eſt, hi viri (vt ego quidem opinor) ſe explicarunt. Nihil enim ad momentaneum motum tollendum anima cæli conducere videtur. Etenim ſi efficientiam motus ſubſtantiæ immobili tribuant, vt tribuendum eſſe antea docuimus, eandémque ſubſtãtiam immobilem vi infinita præditam ſtatuãt, ab anima profectò finitę virtutis actionis illius efficacitas impediri non poterit. Quid enim infinitæ virtuti valeat (vt antea dictum eſt) reſiſtere? Quod ſi non efficientiam, ſed finis duntaxat rationem, quoniam, vt expetendum moueat, eidem concedant, ab anima autem, vt à cauſa efficiente, cælum moueri (vt Alexandro placuit) inquiant, quo pacto quæſo id conſequetur, in nullo tempore motum ab ea factum iri: quod quidem

ratio concludit. hoc enim cõſequitur, eo poſito, quod vt cauſa efficiens, ſi in magnitudine eſſet, moueret, cuius quidem cauſæ munere etiam magnitudinis expers fungitur. alioqui ratio ab vno genere cauſæ ad alium tranſiret. Quod, quia concedere (quanquam non rectè) ij videntur, illud inquiã rogo, quæ virtutis infinitæ ſit neceſsitas ad motum eo modo perpetuò faciendum, quo id, quod amatur & expetitur, mouet. An non finitum quidpiam mouere eo pacto ſemper poteſt, ſi ſemper durare aptum ſit? Ariſtoteles autem ex motu ſempiterno ſubſtantiam immobilem infinitam eſſe colligit, vt facilè intelligatur, hâc illum ſententiâ fuiſſe, ſubſtantiam illam, vt effectricem cauſam, motum ſempiternum efficere: quemadmodum autem vt id, quod amatur & expetitur, antea docuimus. Sunt verò qui aliter difficultatem eiuſmodi vitare voluerint, dixeríntque vim infinitam a magnitudine abiunctam non náturaliter, ſed mente ac voluntate mouere, ob eámque cauſam, quanuis vt infinita eſt, momentaneum motum facere poſſet, eum tamen non facere, ſed eum ſolùm, quem faciendum eſſe intelligit. Id enim facultatis mente & voluntate agentis ingenium eſſe, vt cùm aliquid agere, aut moliri aggreditur, non totũ id, quod poteſt, agat, & moliatur, ſed quantum ei (cuius gratia agit) expedire intelligit. AEdificatorem nanque non tantum ædificare, quantum poteſt, ſed quantum formæ domus animo conceptæ ratio exigit. Quod idem de medico dici poteſt, qui cum arte & intellectu omnia agat, in ęgrotis curandis, quicquid poteſt, non præſtat: ſed ea tantùm, quæ ſalutaria illi & vtilia eſſe arbitratur. Earum autem facultatum, quę naturaliter agunt, non item mente & voluntate, eam eſſe naturam, vt omnem eam, quam poſſunt, actionem efficiant. Quemadmodum ignis, quia naturaliter, non volẽs, aut intelligẽs calefacit, quẽcunque poteſt calorem, ei, quod calidum reddit, largitur. hoc autem modo vires eas agere, quæ inſunt in magnitudine. proinde ſubſtantiam immobilem, ſi in magnitudine eſſet, naturaliter motionem effecturam. Ideóque eam omnẽ, quã poſſet, ob eámque cauſam nullo in tempore: quæ nũc à ma-

gnitudine liberata, mẽte & voluntate mouet, eámque ſolùm motionem efficit, quam vniuerſo, quod mouet, nouit conducere. hunc in modum D. Thomas difficultati huic occurrit, eo quoque adiecto, quòd nulla magnitudo effectum poteſt accipere, qui facultati, quę in magnitudine non eſt, proportione reſpondet. Quandoquidem corporea omnis natura, cum natura corporis experte comparatur, vt id, quod eſt ex parte, cum abſoluto & vniuerſali. Concludi itaque non poſſe, ſi virtus infinita in magnitudine non inſit, corporis, quòd ab ea mouetur, infinitam velocitatem, quæ effectus eſt illi virtuti proportione reſpondens, conſequi, cùm nihil prohiberet, quo minus conſequeretur, ſi virtus eiuſmodi in magnitudine poneretur, ſiquidem virtus cum magnitudine cõiuncta ad ipſam magnitudinem proportionem habet. hoc verò (vt mihi videtur) neceſſarium non eſt, quin potius magnitudinis vis infinita expers magnitudini, quam mouebit, magis dominabitur, maioríque velocitate ciere eam poterit, quàm ſi cum ea cõiuncta fuerit, quippe quæ ab illa non pendebit, nec mouendo mouebitur, vt abſque fatigatione poſsit perpetuò mouere. Illud autem, quod de mouentibus naturaliter, mente ſeu voluntate allatum eſt, maius quidem momentum in ſe habet, ſed tamen cum difficultate aliqua coniunctum eſt. Neque enim neceſſariũ videtur, vt quæ in magnitudine ſunt vires, naturaliter omnes moueant, quippe cùm belluarum & hominis quoque ex parte facultas motrix in magnitudine ineſt, & cum corpore coniuncta eſt. quæ tamen nec naturaliter, nec quantum poteſt, ſemper mouet, ſed quantum animali conducit. Poterat igitur eodem modo ſubſtantia immobilis in magnitudine ineſſe, eúmque motum facere, quem faciendum eſſe intelligeret. Vt illud interim mittamus, dubium eſſe, & fortaſſe à philoſophiæ principiis alienum, mouentem primum ſeu ſubſtantiam immobilem, quia mente & voluntate mouet, non eum omnem, quem poteſt motum efficere. Neque enim ex earum cauſarum numero eſt, quæ agere poſsint, & non agere, ſed neceſſariò (quanquã volens & intelligens) agit & mouet. Et hæc qui-

dem ſunt, quæ mihi de iis videntur, quibus peritiores Peripatetici difficultates in Ariſtotelis demonſtratione exiſtẽtes vitare ſe crediderunt. Ego (vt verum fatear) diſsimilitudinis cauſam, quæ mihi planè ſatisfaciat, nondum inueni, cur videlicet ſubſtãtia immobilis à magnitudine abiuncta, tempore certo & definito, non item momento motum efficiat, quæ ſi cum magnitudine coniuncta eſſet, eundem momentaneum faceret. Dixi quidem in Commẽtariis, qui in libros de naturali auſcultatione à me conſcripti æditíque ſunt, ſubſtantiam immobilem à magnitudine ſeparatam alio modo mouere, quàm corporeæ moueant virtutes, de quibus virtutibus in ſexto Phyſicorum illa ſunt tradita: maiorem in minori tempore, & minorem ſeu tardiorem virtutem maiori motum ſuum efficere, quibus Ariſtotelis demonſtratio nitebatur. Mouere autem immobilem ſubſtantiam, vt optimum quoddam & expetendum, quemadmodum hoc in libro eſt traditum. Verum ne his quidem planè acquieſco, cùm ratio nulla eſſe videatur, cur vis magnitudinis expers maior in minori, & minor in maiori motum ſuum tempore non faciat, perinde atque vis ea, quæ corporis eſt particeps. Quod autem eo in loco tradidi, ſubſtantiam immobilem, ſeu primum mouentem mouere, vt optimum & expetendum non ita accipiendum eſt, quaſi motus efficientiam ei negaremus. Efficienter enim (vt tradidimus) mouet, neque tamen planè, vt cæli forma aut anima, quandoquidem à cælo abiuncta eſt, & eius actus non eſt, quemadmodum forma aut anima corporis. Quanquam ſimilitudine quadam anima cæli dici poteſt, vt quemadmodum per animam quæcunque viuunt, viuere conceduntur, ita cælum vita intellectuali, mente ea viuere dicitur. Atque hac parte cum Alexandro conſentio, qui ſubſtãtiam immobilem cæli animam eſſe noluit. Sed eo diſſentio, quòd aliam animam in cælo poſuerit, cuius nullam omnino Ariſtoteles fecit mentionem. hæc igitur à me de re hac ſatis ſint dicta. Longè plura in libris de Deo & mẽtibus diuinis diſſeram, & diſsimilitudinis cauſam, ſi qua ſit, vt credendum eſt, fortaſsis inueniam.

An verò vna generis huius ponenda ſit ſubſtantia, an plures, quótque, ignorare non debemus, ſed aliorum etiam ſententias meminiſſe, quandoquidem perſpicui nihil de multitudine ttadiderunt. Nam quæ de Ideis eſt opinio, propriam nullam conſiderationem habet. Quotquot enim Ideas ponunt, numeros illas eſſe aiunt. De numeris autem, vt de infinitis interdum diſſerunt, aliquando, vt denario concluſis. Cur verò ea ſit numerorum multitudo diligenti demõſtratione non traditur.

Hactenus conſtitutum eſt, ſubſtantiam aliquam æternam & immobilem exiſtere, cuius natura actus ſit purus ab omni potentia & mutabilitate vacans, indiuidua, & partium magnitudiniſque expers: à qua cælum pendet & natura, quæ reuera aliud nihil eſt, quàm Deus. nunc diſputare & perpendere aggreditur, vtrum eiuſmodi ſubſtantia vna ſit, an plures: & ſi plures, quo numero contineantur. Nec immeritò quidem hanc quæſtionem expendit, quippe cùm plures ante ipſum, (tametſi fabuloſè & ſub ęnigmatibus quibuſdam, vt paulò pòſt tradetur) de diis & eorum numero fuiſſent locuti. alij de ſubſtantiis immobilibus & æternis, atque corpore vacantibus nonnulla quidem docuiſſent, ſed tamen certum ac definitum earum numerũ apertè non explanaſſent, quemadmodum ipſe in his verbis monet. Platonem autem & Socratem intelligit, quos Pythagoricorum de numeris dogma ſecutos, Ideas, quas inuexerant, numeros eſſe voluiſſe, exiſtimat. Quemadmodũ in primo & duobus huius ſcientiæ poſtremis libris, in quibus ſententia hæc refellitur, licet videre. Cùm ergo Ideas ſubſtantias quaſdam æternas & immobiles eſſe poſuiſſent, & iuxta Pythagoricorum principia numeros eſſe aut numeris conſtare voluiſſent, numerorúmque

ipſorum nullam certam multitudinem eſſe tradidiſſent, ſed interdum innumerabiles eſſe,& nullo termino concluſos, interdum denario comprehenſos pronuntiaſſent, nihil certè de ſubſtantiarum immobilium multitudine ab illis traditum eſſe Ariſtoteles enuntiat. Sed difficile fortaſſe non eſſet, horum virorum ſententiam & placitum tueri. quippe qui tot Ideas eſſe cenſerent, quot rerum genera & ſpecies in rerum ſunt vniuerſitate, ſingulis generibus ſpeciebúſq; Ideam ſuam habentibus. Numeros item infinitos dicerent, quia reuera infinitè augeri poſſunt, nullúſque numerus afferri poteſt, quo alter maior non afferatur: denario autem concluſos, quòd primæ & ſimplices numerorum ſpecies, numerũ illum duntaxat attingant, aliis, qui ſequuntur, ex eorum compoſitione omnibus exorientibus. Sed hoc ad ſubſtantias immobiles cælorum motrices, de quibus nunc agitur, nihil pertinet. Quas quoniam pertractare Socrates & Plato prætermiſerunt, omni eorum in Ideis inuehendis & conſtituendis oratione conſumpta, Ariſtoteles fortaſsis redarguit.

Nobis autem ex his, quæ poſita ſunt & conſtituta, dicendum eſt. Principium quidem enim, entiúmque primum, per ſe, & ex accidenti immobile eſſe, ſed primum ſempiternúmque & vnum motum facit. Quoniam verò id, quod mouetur, ab aliquo moueatur, primúſque mouens immobilis per ſe ſit, & ſempiternus motus à ſempiterno, & vnus ab vno proficiſcatur neceſſe eſt, quinetiam præter ſimplicem lationé, quam primam & immobilem ſubſtantiam facere dicimus, alias etiam ſtellarum errantium lationes ſempiternas videamus, (Sempiternum enim eſt, & nunquam conquieſcit orbiculare corpus, vt in Phyſicis demonſtratum fuit) profectò oportet, vt harum lationum

quæque ab immobili & ſempiterna ſubſtantia per ſe efficiatur. Non cùm ſtellarum natura, ſubſtantia quędam ſit ſempiterna, vis etiam mouens ſempiterna erit, & eo, quòd mouetur prior. quod autem ſubſtantiâ prius eſt, ſubſtantia ſit neceſſe eſt.

Quæſtionem in verbis ſuperioribus propoſitam diſſoluere, ſententiámque ſuam de ſubſtãtiarum immobilium multitudine exponere aggreditur: quę quidem ſententia eſt, non vnam ſolùm eſſe ſubſtantiã immobilẽ magnitudinis expertem: ſed multas, tótque numero, quot cæleſtes orbes perpetua agitatione conuertuntur. hanc ſententiam non ſimpliciter pronuntiat, ſed ratione efficaci confirmat, multis more mathematicorum hypohteſibus præmiſsis, quæ alibi fuerũt demõſtratæ, atque in ſumma decem ſunt. Prima, principium primúmque entium omnium per ſe & ex accidenti eſſe immobile. Altera, hoc primum principiũ primam perpetuámque vnam motionem efficere. Tertia id, quod mouetur, ab alio moueri. Quarta, quod primum mouens eſt, eſſe immobile. Quinta, perpetuum motum à perpetuo fieri mouente. Sexta, mouentem vnum, vnam motionem efficere. Septima, alias lationes, præter primam eſſe, videlicet lationes errantium ſtellarum. Octaua, lationes eiuſmodi eſſe ſempiternas. Nona, id, quod mouet, prius eſſe eo, quod mouetur. Decima, ſubſtantiam eo, quod non eſt ſubſtantiâ, eſſe priorem. his omnibus hypotheſibus ſumptis cõcluſionem propoſitam hunc in modũ colligit. Si quicquid mouetur, ab aliquo mouetur, vnúſque motus ab vno, & perpetuus à perpetuo mouente proficiſcitur, primúſque rei cuiuſque mouens immobilis eſt, & rem, quam mouet prior, ſubſtantia item id, quod non eſt ſubſtantia, antecedit, ac lationes aliæ præter primam cernuntur, eæque ſempiternæ, tot profectò mouentes ſempiterni ſint, quot ſunt ea, quæ mouentur, neceſſe eſt, & illi quidem immobiles atque ſubſtantiæ. Quas autem ſumit hypotheſes, omnes ferè in octauo naturalis auſcultationis fuerũt

monſtratæ. Primum quidem prima, quòd primus ſit mouẽs, qui ſempiternum continentémque motum efficit, quem facere non poſſet, ſi vllo modo aut per ſe, aut ex accidenti moueretur. quomodo nec animalium animæ, quæ ex accidenti mouentur, illa mouere ſemper poſſunt. Demonſtratum verò etiam antea hoc ipſum eſt, cùm diceretur, ſi quid eſt, quod mouetur & mouet, aliquid item, quod mouetur ſolùm, neceſſariò aliquid eſſe, quod mouet, & non mouetur. Altera hypotheſis eò demonſtratur, quòd primum principium primus ſit mouens, idémque vnus, à quo cælum & natura pendet, vt neceſſe ſit primam, vnámque lationẽ ab eo fieri, ſempiternámque à ſempiterno. Nec plures lationes ab vno & eodem, quod maximè vnum ſit & ſimplex, naturalitérque moueat, eſſe poſſunt, quemadmodum nec lationibus pluribus naturaliter cieri aliquid poteſt. Naturaliter autẽ id mouet, vt in ſecundo de naturali auſcultatione eſt proditũ. Mouentes non naturaliter varios motus poſſunt efficere, quomodo anima, quæ in ſuperum locum & in inferum, & ad latus corpus mouet. Tertia hypotheſis eo fuit mõſtrata, quòd ea, quæ maximè ſe mouere conceduntur, veluti animalia, ab alio moueri quodam modo dicantur, quippe quæ à parte, quam in ſe habent, immobili mouentur. Quod ne accideret quidem, niſi partem aliam continerent, quæ mouetur, & non mouet. Ita, vt pateat, id, quod mouet, & quod mouetur, in his quoque diuerſa eſſe. Sed mouere ipſa ſe dicimus, quòd anima mouens corpore, vt inſtrumento, vtatur, eadémque corporis motu moueatur, ita vt totum moueat totum.

Quartæ hypotheſis veritatẽ eò docuit Ariſtoteles, quòd niſi immobilis ſit mouens primus, ſed ab aliquo moueatur, primus mouens non erit, quippe qui alium ante ſe mouentem habebit. Quamobrem, vt primus ſit, immobilem eſſe oportere. primum autem neceſſariò aliquem eſſe, ne in mouentibus progreſsio ſit infinita. At verò perpetuum à perpetuo mouente motũ fieri ex eo oſtenſum eſt, quòd perpetuus motus vnus ſit & continuus, qui niſi ab vno eodémque mouente poteſt effici, quippe cum mouẽtibus variatis motũ quoque

alium & alium eſſe quiete aliqua interceptum eſſe oporteat. Sexta hypotheſis eo modo, quo ſecunda demonſtratur. Septima ſenſui eſt euidens, cùm ſyderum errantiũ varios motus variis temporibus confectos conſpiciamus. Octauam in hiſce verbis eò corroborat, quòd cæli ſtellarúmque ipſarum ſempiterna ſit natura, eadémque nullo vnquam tẽpore conquieſcat. quæ duo in libris de Cælo exquiſitè demonſtrauit. Nona, ex his vim habet, quæ antè de actu & potentia ſunt tradita, nempe actum aliquem potentiæ anteire, qui illam moueat, & in actum ducat. Neceſſe autẽ non eſt, quod mouet, eo, quod mouetur, tẽporis ordine prius ſit, vt in his mouentibus, de quibus eſt ſermo euenit, quos tempore ea, quæ mouent, non antecedere, perſpectum eſt. Natura igitur prius eſſe id, quod mouet, ſatis eſt, & id quidem quatenus mouet, aliud autem mouetur. Nam ſimpliciter & abſolutè non neceſſariò ſeſe antecedunt. Poſtremam hypotheſim, in ſeptimo huius operis pertractauit, eiuſdémque (vt vidimus) huius diſputationis initio meminit. Quamobrem intelligi poteſt, rationem, quæ de ſubſtantiarum immobilium multitudine concluſa eſt, ex his concluſam eſſe, quæ firma ſunt, & demonſtrata alibi fuerunt.

Perſpicuum igitur eſt, & totidem ſubſtantias, & naturâ ſuâ ſempiternas ac per ſe immobiles, magnitudiniſque expertes, ob eam quæ dicta eſt, cauſam, neceſſariò eſſe. Ac ſubſtãtias quidem eſſe, & illarum vnamquanque, iuxta eum, qui in ſtellarum lationibus inuenitur, ordinem antecedere, aut conſequi, manifeſtum eſt.

Superioris demonſtrationis concluſio eſt, in qua illud eſt obſeruandum, nullum diſcrimen inter haſce ſubſtãtias, quarum multitudo concluditur, & primam illam hactenus pertractatam poni. Siquidem & ſempiternæ & per ſe immobiles & magnitudine vacantes, quemadmodum & illa, ſtatuuntur, ſempiternas autem eſſe cõcluditur, quoniam motus

ſempiternos efficiant, per ſe immobiles, quoniam mouentes ſint primi, quippe cùm lationes eiuſmodi ab eis, vt mouentibus primis proficiſcantur. Nam omnium quidem mouens primus ponitur, quatenus primum cælum mouet, primúmque motum efficit. Sed primus non eſt, quia alios moueat, eiúſque efficientiâ ſuos orbes cæteri cieant, quanquam motu, quem facit, omnes ſimul ſphæras conuertit. Ita igitur ſubſtantiæ illæ immobiles ponuntur. Magnitudine autem vacantes, ob eam, quæ antea de prima ſubſtantia allata eſt, cauſam, quòd videlicet ſempiternum motum efficiant, proinde viribus infinitis ſint prędite, quę in magnitudine eſſe non poſſunt. Ex quo loco intelligere illud licet, quod fortaſſe abſurdum videri poſsit, omnes haſce ſubſtantias viribus infinitis prędìtas ſtatui. Siquidem in prima vis infinita ponitur, nullámque aliam ob cauſam, quàm quòd perpetuò moueat, quod à vi finita fieri non poteſt. Primam autem hoc modo infinitam eſſe antea monſtrauimus. Nullum verò maius incommodum accidit, ſi hæ infinitis viribus conſtãtes ponantur, quàm ſi prima. Cùm verò hæ ſubſtãtiæ à prima hoc nomine non differant, eo differre putauerit aliquis, quòd immobiles duntaxat per ſe in his verbis dicuntur, cùm primum principium & per ſe & ex accidẽti immobile eſſe traditũ ſit. Ad cuius rei confirmationem illud fortaſſe aſſumet, quod in octauo de naturali auſcultatione eſt traditum, moueri ex accidenti, duplex eſſe: Vnũ ex ſe, ſeu à ſe, quomodo animalium animæ motu animalis, quem faciunt, mouentur: alterum ab alio, & hoc nonnullis etiam eorum in cælo principiis, quæ pluribus lationibus cientur cõuenire. quo in loco cùm antea dictũ eſſet, mouens, quod ex accidenti mobile eſt, motũ continuum non facere, poſſẽtque aliquis obiicere, mouẽtes aliquos cæleſtes, qui perpetuò mouent, ex accidenti moueri, ſiquidem animæ ſtellarum errantium hoc modo mouentur, videtur Ariſtoteles occurrere, atque concedere ex accidenti quidem moueri, ſed ab alio, quandoquidem motu, quo ſphæræ propriæ à prima mouentur, ex accidenti cieantur. hoc igitur aliquis de ſubſtãtiarum immobilium motu ex ac-

cidenti, qui in prima ſubſtantia nullo modo inuenitur, poſſit exiſtimare. Quod quâquam dubium admodum mihi eſt, Ariſtotelis tamen in loco commemorato placitu m videtu eſſe. Dubium autem eſſe aio, quòd mirandum videatur, errantium ſtellarum mentes motrices, ſphærarum ſuarum motu eo, qui eſt à prima, ex accidenti moueri, quæ motu quem ipſæ faciunt, ex accidenti non mouentur, cùm tamen eadem ſit ratio. quippe cùm à ſe ex accidenti non moueantur, aut quòd à ſphæris, quas mouent, omnino abiunctæ ſunt, nec ab eis, vt mortalium animæ dependent, aut quòd ſphæras ipſas loco non mouēt, cùm in eodem loco ſemper verſentur, quorum vtrunuis ponatur, ne à prima quidem ſubſtantia ex accidenti poterunt moueri, cùm à ſphæris æquè abſtractę, & in eodēloco perſeuerent. Quam ob cauſam nonnulli de ſphæris errantium ſtellarum non de animabus aut mentibus earum locum illum expoſuerunt, ipſáſque ſphæras à prima ſubſtantia ex accidenti moueri ab Ariſtotele dictum voluerunt. Sed vtro modo res habeat, conueniunt inter ſe ſubſtantiæ omnes immobiles, quòd motu eo, quo ſuam quæque ſphæram mouet, ex accidenti non mouentur. etſi fortaſſe inter ſe differant, quòd prima nullo modo, cæteræ motu, qui fit à prima, ex accidenti moueantur. Inquit autem eundem ordinem in eis eſſe, qui in ſphæris, quas mouent, conſpicitur. vt quanquam inter ſe & immobilitate & materiæ vacuitate, & ſempiternitate, & infinitate ſint pares, alia tamen aliam ordine quodam antecedat, quomodo prima cęteris omnibus anteit. Porrò qui ordo in ſphæris habeatur, quæue illarum prior ſit, quæue poſterior, in progreſſu explicabitur.

Lationum autem multitudo ab Aſtrologia, quę ex ſcientiis mathematicis ſummâ, cum Philoſophia affinitate coniungitur, ſumēda eſt. Ipſa enim ſubſtantiam contemplatur, ſenſilem quidem, ſed tamen ſempiternam. Cæteræ autem nullam, vt Geometria, & quę eſt de numeris.

Totidem ſubſtantias immobiles eſſe, quot ſunt cæleſtes lationes & ſphæræ, tradidit, nunc lationum multitudinem ab Aſtrologia ſumendam eſſe docet, quippe quæ cæleſtia corpora & eorum accidentia contempletur. Maximâ enim cum philoſophia inter omnes mathematicas ſcientias familiaritate coniungi, ſiquidem ſubſtantiam, quemadmodum & philoſophia cōſiderat, cæteris numeros ſolùm, vt Arithmetica, aut magnitudines, vt Geometria contemplantibus. Eſt autem ſubſtantiæ cōſideratio philoſophiæ maximè propria, vt cùm tria ſubſtantiarum genera ſint, vt antea traditum eſt, in omniū conſideratione philoſophia verſetur. Naturalis quidem in contemplatione mobilium: diuina & prima in contemplatione immobilium. Vnde & huius operis ſcopus eſt principia & cauſas ſubſtantiæ inueſtigare. Cùm ergo in mathematicis ſcientiis ſola Aſtrologia ſubſtantiam conſideret, fit vt ad philoſophiam propius, quàm cæteræ, accedat. Ita verò ſubſtantiam cæleſtem Aſtrologus contemplatur, vt tamen non inquirat, elementaríſne ſit, an ab elementis diuerſa, mortalis an ſempiterna, quæ illius ſubſtantiæ figura motióque propria ſit, recta an orbicularis, & eius generis alia, quæ naturalis philoſophus contemplatur. De qua Aſtrologi & naturalis diſſenſione, atque etiam conſenſione, in ſecundo de naturali auſcultatione quædā ſunt tradita. Quo etiam in loco oſtenſum eſt, alias mathematicas ſubſtantiā non conſiderare, ſed eius tantùm accidētia, & illa quidem per ſe, non vt ſubſtantiæ ſunt accidentia. Quandoquidem ea definientes nullam in definitionibus ſubſtantiam adhibent.

Plures itaque eorum, quæ feruntur, eſſe lationes, iis etiam, qui leuiter attigerunt, perſpectum eſt. Stellarum enim errantium vnaquæque pluribus cietur, quàm vnâ. De quarum quidem numero, quæ mathematici nonnulli aiunt, intelligentię gratia exponemus, quo definitam aliquam multitudinem mente percipiamus. Reliqua autem

cùm ipſi inueſtigando, tum ab iis, qui inquirunt ſciſcitando quidpiámne eis præter ea, quę ab illis, qui res has pertractant, nunc dicta ſunt, videatur. vtroſque quidem amare conuenit, ſed exquiſitioribus credere.

Triplex eſt motio, quibus ſtellarum errantium vnamquanque cieri, ij, qui vel mediocriter in Aſtrologia verſati ſunt, moueri intelligunt. Vna eſt manifeſtiſsima, quam vulgus etiam ipſum apprehendit, ea videlicet, qua ab ortu ad occaſum, & rurſus ad ortum ſingulis diebus deferuntur. Altera eſt ab occaſu ad ortum à vulgari intelligentia remota, quæ ſenſu quidem, ſed inſtrumentis quibuſdam ad eam rem adhibitis, deprehenditur. huius generis aliæ breui tempore animaduerti ſolent, vt ſolis & lunæ motiones, quarum prior anno, poſterior menſe vel circiter conficitur. aliæ longinqua egent obſeruatione, vt Saturni motio, quę triginta annorum ſpatiũ requirit. Tertia motio eſt ad latera, qua nunc ad Meridiẽ, modò ad Septentriones ſtellas declinare, per inſtrumenta Aſtrologi deprehendunt. Cùm verò & aliæ eſſent motiones, quibus ſtellæ errantes moueri ponebantur, earum numerum, qui à mathematicis ſui temporis tradebatur, intelligentiæ gratia ſe expoſiturum Ariſtoteles pollicetur, quo definitam aliquam multitudinem mente percipere valeamus. Et quia multa iis deſunt, quę ab illis ſunt tradita, ea, inquit, partim ab vnoquoque inueſtiganda eſſe, partim ab his, qui inquirunt, ſciſcitandũ. Quo in loco præclarè nos docet, quid in ſcientia de aſtris agendum ſit. Omnium enim, qui in ea verſati ſunt, ſcripta excutere, & multa proprio marte inueſtigare, nec in iis, quę maiores tradidere, planè acquieſcere nos præcipit. Id verò non immeritò, quandoquidem ſcientia eiuſmodi in his verſatur, quæ à nobis magno interuallo diſiuncta percipi, nec citò, nec facilè à quoquam poſſunt. Quod ipſe Ariſtoteles in ſecundo de Cęlo docuit, cùm nonnullas quæſtiones de aſtrorum motibus proponeret, eáſ-

que ob maximam illorum à nobis diſtantiam explicatu difficiles eſſe affirmaret. Sunt præterea motiones quædam, quibus animaduertendis vllius hominis vita, cùm niſi longo tẽpore conficiantur, haudquaquam eſt ſatis. Multarum itaque ætatum obſeruationem, eámque diligentem requirunt, ob eámque cauſam non maiorum ſolùm, ſed etiam aliorum qui ſecuti ſunt, ſcripta excutere, & nos quoque ipſos, vt aliquid inueniamus, diligentiam adhibere, neceſſe eſt. Nec enim aliter in Aſtrologia euenit, atque in ea ſcientia (quam Geographiam nominant) in qua non maiorum ſententiæ, ſed poſteriorum ſemper, vtpote magis peritorũ ſtandum eſſe, Ptolemæus & alij præcipiunt. Nam quæ maioribus ob vitæ breuitatẽ fuere incognita, poſteriores illorũ ſcriptis & obſeruationibus adiuti in dies inueniunt. Quod in harum ſcientiarum vtraque videre licet: quandoquidem & ſtellarum inerrantium motum illum tardiſsimum, quo ad ortum ſuapte naturâ feruntur, Ariſtoteli & ſui temporis Aſtrologis ignotum, Ptolemęus, & alij poſteriores obſeruarũt, & plurima in Geographia Ptolemæo ipſi occulta noſtra tẽpeſtate fuerunt inuenta. Cùm verò Ariſtoteles & ea expoſiturũ ſe inquiat, quæ mathematici quidam de numero motionum dicerent, & quærendum eſſe per ſe, atque ab aliis etiam, qui inquirunt ſciſcitandum, quidpiámne eis præter ęa, quæ ab illis Mathematicis dicta ſunt, videatur, exquiſitioribus quidem & iis, qui rem ipſam propius attigerint, & magis exquiſitè diſſeruerint, credendum eſſe, ſed tamen vtroſque amãdos commonefacit. Quod etiam in ſecundo huius ſcientiæ, cùm de veritate diſſereret, præcepit. Non modò enim (inquit) iis gratias agere æquum eſt, qui veritatem ac diſciplinas diligenter tradiderunt, verumetiam illis, qui eas parum attingentes, leuiter ac ieiunè eas tractauerũt. Nam hi quoque vtilitatem non paruam nobis attulerunt, dum quæſtionibus intellectum noſtrum acuentes ac excitantes, ac quaſi viam nobis aperientes, nos in earum inquiſitionẽ induxere. Enimuero ſi Timotheus non fuiſſet, non tantùm modulorũ haberemus: quòd ſi Phrinim ætas illa non habuiſſet, ne Timo-

theus quidem claruiſſet. Eodem prorſus modo de iis exiſtimandum eſt, qui veritatem indagare aggreſsi ſunt. his duobus in locis maximam Ariſtotelis probitatem deprehendimus, quippe qui eos, quorum ſtudium aliquod in veritate indagãda fuit, & ſi non planè eam inuenerũt, in vno diligẽdos eſſe, in altero gratiam eiſdem habendam præcipiat. Videtur autẽ Alexãder non ſatis rectè locũ hunc expoſuiſſe: quandoquidem per vtroſque Ariſtotelẽ intellexit & maiores, qui de aſtris diſſeruerunt, vt verborum eiuſmodi ſit ſenſus. Si quid ab iis, qui ſunt in hoc ſtudio verſati, aliquid dictum videbitur præter ea, quæ nunc à nobis dicentur, par erit vt poſteri, tum nobis, tum etiam prioribus gratiam habeant: quippe quorum ſtudio nonnihil ſit inuentum. Fides autem iis erit adhibenda, qui de his accuratius diſſeruerint. Sed luce clarius conſtat, hanc verborum Ariſtotelis ſententiam non eſſe, verùm eam, quam nos retulimus.

Eudoxus itaque ſolis & lunæ lationibus ternas vtrique ſphæras attribuebat: quarum prima, vt inerrantium ſtellarum ſphæra: altera per medium ſignorum: tertia per eum, qui in ſignorum latitudine obliquus eſſet, moueretur. Ampliori autem latitudine eum, per quem luna, quàm iis, per quem ſol fertur, obliquari.

Plato cùm ſtellas errantes velocius aliquando moueri, interdum verò tardius, tum antecedere, tum ſequi, tum ſtare, tum ad Auſtralem partem ſeſe conuertere, tum ad Aquilonarẽ videret, quæ omnia cæleſtis corporis naturæ aduerſantur, cuius motionem conuerſionem eſſe, eámque æqualem, conſtantem ac ſibi ſimilem ſtatuerat, problema hoc Aſtrologis explicandum propoſuit, quonam videlicet pacto illà motionum ſingularum æqualitate ſeruata, quanuis inter ſe comparatæ inæqualitatem haberent, eorum omnium, quę in cælo fieri circa aſtra videntur, quorum partem nunc com-

memorauimus, reddere cauſas efficienter poſſet. huic inueſtigationi cùm multi ſe tradidiſſent, Eudoxus primus, vt Simplicius author eſt, cauſas eiuſmodi reddi poſſe, exiſtimauit, ſi tot orbes ſingulis planetis attribuerentur, quot Ariſtoteles ex eius ſententia in his verbis refert. Aſcripſit autem ſoli tres orbes, propterea quòd triplici motu mouere eum conſpexit. Vno ab ortu ad occaſum, qui eſſet primæ omnium ſphæræ, in qua ſtellę inerrantes infixæ ſunt, alter ab occaſu ad ortum ſecundum ſucceſsionem ſignorum, quem annuo ſpatio conficit. Poſtremò in tranſuerſum, ob quem motum ab ecliptica quoquomodo recederet. in vtroque enim ſolſtitio non æqualiter ſolem declinare deprehenderat. hunc igitur triplicem motum cùm in ſole animaduertiſſet, totidem orbes illi attribuit, veriſsimum eſſe ratus, quod Ariſtoteles poſtea docuit, ſingulos orbes ſingulis motionibus cieri. Nam quanuis vnus orbis trifariam aliquando moueri videatur, non id tamen euenit, quia eius proprij ſint motus eiuſmodi, ſed orbium ſuperiorum ratione, qui propriis motionibus conuerſi inferiores orbes circunuoluunt ſecum & rapiũt. Ita verò horum ſolis orbium axes ſeu polos conſtituit, vt ſupremus in eandem partem, ſuper eoſdem polos, & eadem, qua octaua ſphæra, velocitate moueretur. medius huic contiguus ſuper axe, qui in ſuperficie eclipticæ angulos rectos deſcribit, ab occaſu ad ortum, ad quam eandem partem tertium orbem, in quo ſydus eſt infixum, tardiſsimo motu cieri voluit. Super axe tamen angulos rectos faciente, in cuiuſdam orbis ſuperficie, qui à ſole proprio centro deſcribitur. Cùm verò ſoli tot orbes & hoc, qui dictus eſt, modo diſpoſitos attribuiſſet, lunæ totidem dedit, cùm triplicem in ea motionem, quemadmodum & in ſole obſeruaſſet. Eorum autem duos ſuperiores iiſdem motibus, quibus & ſolis duo ſupremi moueri ſtatuit. tertium ſuper axe, qui in ſuperficie circuli à luna proprio centro deſcripti angulos rectos facit, ab ortu ad occaſum motu tardiſsimo verſari, circulúmque illum tantùm ab ecliptica declinare, quantus maximus eſt ab ea lunæ digreſſus. Ita, vt longè ampliori longitudine circulus ille, per

quem luna, quam is, per quem ſol ferretur, declinaret.

At verò errantium ſyderũ cuiuſque ſphæris quaternis cõtineri, earúmque primam & ſecũdam eaſdem quæ illarũ. Nam quæ inerrantium eſſet, eam ipſam eſſe, quę omnes circũueheret, quæ item ſub hac collocata per medium circulum ſignorũ volueretur, illam cunctis communem eſſe. Tertiam verò omnium in medio ſignorũ circulo polos infixos habere. At quartæ lationẽ per obliquum ad medium huius eſſe. Tertiæ autẽ ſphæræ polos cæteris quidem ſuos cuique proprios eſſe, ſed Veneris & Mercurij eoſdem.

Cùm ſoli & lunæ ternos orbes Eudoxus dediſſet, ſtellis errantibus, hoc eſt, Saturno, Ioui, Marti, Veneri & Mercurio, quæ ob vagum earum motum errantes dicuntur, quaternas aſsignauit, eorúmque omnium motum quatuor ſphęris contineri voluit. Quarûm ſuperiores duæ in ſingulis ſtellis eundem planè ſitum & in eandem partem motionem, in quam ſolis & lunæ ſupremæ duæ obtinerent. tertia autem ab Auſtrali parte ad Septentriones ſuper polis in circulo, ſignorum infixis moueretur, itérque ſuum eo tempore conficeret, quo ſingulæ ſtellæ errantes ſolis aſpectus omnes abſoluunt. Id tẽpus Aſtrologi μετάβασιν nuncupãt. quod in ſingulis illis ſtellis iuxta Eudoxi obſeruationẽ aliud eſt & aliud. Nanque in Venere menſibus decem & octo, in Mercurio centum & decem diebus, in Saturno & Ioue tribus (vt plurimum) menſibus, decémque diebus continetur. Quartã tandem ſphæram in obliquo quodam circulo, qui non æqualiter in omnibus planetis digreditur, eadem, qua & tertiam velocitate ab ortu ad occaſum cenſuit moueri. hanc autem ſphæram poſuit, vt motione ſua tertiæ ſphæræ quaſi reluctetur; cuius tertiæ conuerſione aſtrum, ad polos vſque zodiaci mo-

ueretur, niſi quarta illa ſuper propriis polis ab ortu ad occaſum conuerſa repugnaret. Cùm verò tot ſphęras ſingularum errantium ſtellarum motum perficere voluiſſet, qua tamen ratione effectuum, qui in ipſis ſtellis apparent, vt ſtatuum, antecesſionum, retrocesſionum, & aliorum eius generis ex hac orbium motionúmque conſtitutione cauſas quis efficientes redderet, nec ab eo, nec ab alio quopiam ſcriptum aliquid extat. Illud verò adiecit, quatuor illarum ſphærarum, quas ſingulis errantibus ſtellis dedit, aut trium, quas ſoli & lunæ, infimæ cuique aſtrum infixum eſſe, quo factum eſt, vt infimas omnes ἀστρωμένας, ſuperiores verò ἀνάστρους Theophraſtus appellarit. harum etiam ſphærarum ſingulas, propria velocitate credidit cieri, de qua libellum ab eo conſcriptum meminit Simplicius, qui cùm de velocitatibus inſcriptus eſſet, temporum iniuriâ periit, vt & alia quædam ab illo conſcripta. Eudoxi igitur ſententia hæc fuit. ex qua intelligimus primam ſphæram poſitam eſſe, vt ab ortu ad occaſum reliquas & eam maximè, in qua eſt ſtella, cōuerteret, alteram, vt ſtellæ ſecundum ſuccesſionem ſignorum mouerentur. Siquidem ſuper polis zodiaci reuoluitur, ſuóque motu alias ciet. Tertiam vt à Meridie ad Septentrionē & contra ſtella declinaret: quartam vt (quemadmodū antea dictū eſt) motu ſuo prohiberet, ne ad polos vſq; circuli ſignorū ſtella ferretur.

Calippus verò eundem planè ſphærarum ſitum, hoc eſt, interuallorum ordinem, quem Eudoxus eſſe ſtatuit. at multitudinem Iouis quidem & Saturni eandem, quam ille: ſed ſi eorum, quæ apparent, cauſas reddere aliquis vellet, ſolis & lunæ ſphæris duas præterea, cæteris autem errantibus vnam cuique adiungendas eſſe arbitrabatur.

Quæ Eudoxi de ſphærarum multitudine ſentētia fuerit, expoſitum eſt. Eum ſequutus eſt Calippus, qui multitudinem illam ſphærarum ab Eudoxo poſitam ad eorum, quæ apparent, cauſas reddendas non ſatis eſſe animaduertens, alias

quaſdam prioribus illis adiungendas eſſe, vt Ariſtoteles tradit, exiſtimauit. Itaque ſeptem alias adiunxit, ſoli & lunæ binas. Marti, Veneri, & Mercurio ſingulas. totúmque ſphærarum ſolis & lunæ & aliarum errantium ſtellarum numerum tribus & triginta concluſit. Calippi autem liber minimè extat, in quo cauſas perſpicuè videre poſsimus, cur ſphæras eiuſmodi adiiciendas eſſe putauerit. Simplicius verò hoc ſolùm refert, Eudemum ex Calippi ſententia rationem hanc reddidiſſe. ſolſtitiorum videlicet & æquinoctiorum tempora differre, quemadmodum Alcmæon & Memnon obſeruarũt. Quod ſi ita habet, tres orbes ad cauſas eorum, quæ apparẽt, reddendas minimè ſufficere.

Verùm ſi omnes ſimul iunctæ ea, quæ apparent, efficere debeant, ſingulis errantibus totidem alteræ ſphæræ vna minus, quæ primam aſtri inferioris ſphæram ad eundem ſitum continenter reuocent, addantur, neceſſe eſt. hac enim vna ratione ſtellarum errantium lationes omnia poſſunt efficere. Quoniam igitur eæ ſphæræ, in quibus feruntur, aliæ ſunt octo, aliæ vigintiquinque, atque eas ſolas retro verſari minimè conuenit, in quibus infima ſtella collocata fertur, ſex, duarum primarum, reliquarum autem quatuor, ſexdecim reuoluentes erunt, omnes autem, & quæ illas circunferunt, & quæ reuoluunt quinquaginta & quinque. Quòd ſi nec ſoli, nec lunæ, eæ, quas diximus, motiones adiungantur, ſphæræ omnes ſeptẽ erunt & quadraginta. Sphærarũ itaque multitudo hæc ſit.

Ariſtòtelem Calippi conſuetudine vſum fuiſſe & in rebus ad aſtra pertinentibus ei plurimum detuliſſe legimus. Nihil itaque eorum, quæ de ſphærarum multitudine ille ſtatuerat,

ſuſtulit, ſed illis ſeruatis alias viginti duas adiungendas eſſe exiſtimauit, vt eorum, quæ apparent cauſæ idoneæ & ſufficientes reddi poſſent. Ita verò ſphæras, quas adiunxit, diſtribuit, vt totidem alteras, quot Calippus poſuerat, vnâ tamen minus, ſingulis ſtellis errantibus adiecerit, lunâ exceptâ, quæ infimum locum in eis obtinet. Ternas itaque Saturno & Ioui, quibus Calippus quaternas tribuerat, cæteris quatuor, quæ ſequuntur, Marti, Veneri, Mercurio, & Soli, quibus quinæ datæ erant, quaternas. has autem neceſſarias, inquit, eſſe, vt primam cuiuſque aſtri inferioris ſphæram in eodem ſitu ſemper contineant, ad eúmque perpetuò reuocent, à quo alioqui ob ſphærarum ſuperiorum motum, qui ei communicaretur, excedere oporteret. In iis enim non ſecus eueniſſet, atque in octauæ ſphæræ motione, quæ inferioribus orbibus communicatur, vnde maxima horum motuum perturbatio conſecuta eſſet. Sphæras igitur eiuſmodi adiecit, quæ ſuper iiſdem, quibus & ſuperiores, axibus, & eadē, qua illæ velocitate in partem oppoſitam cierentur, hoc ordine & modo, vt prima reuoluens vltimæ deferenti cui adhęret, ſecunda penultimæ, tertia antepenultimæ, & ita in cæteris aduerſaretur, ſuper iiſdem polis & eadem velocitate contrario motu conuerſé. hac enim reluctatione fieri arbitrabatur, vt illarum ſuperiorum ſphærarum motus, ſphæris inferioris ſtellæ non communicarentur. Cúmque prima cuiuſque aſtri ſphæra motu octauæ, hoc eſt, primi mobilis moueri poneretur, quemadmodū antea traditum eſt, nullúmque imminerет periculum, vt ſuperioris aſtri ſuprema ſphæra inferioris ſupremam motu ſuo ex eius proprio ſitu remoueret, quippe quæ eodem planè motu & ad eandem partem mouerentur, nullam ſphæram reuoluentem, quæ ſupremæ reſponderet, & contrario motu moueretur, adiiciendum eſſe putauit. Itaque totidem errantibus omnibus vna minus adiunxit, atque ἀνελιττούσας, ab earum munere vocauit, quaſi primam cuiuſque aſtri inferioris ſphæram, quæ è ſitu ſuo ſuperiorum ſphærarum motione, veluti dimoueretur, ad eundem reuoluerēt, atque in eo continerent: aut etiam, quod ſuperiorum orbium

motus reuoluant,atque eis reluctentur. Theophraſtus verò, quòd contrario motu atque ſuperiores ferrētur, ἀντανα φερού- ὄας nuncupauit. Sed vt res dilucidior fiat, planiúſque intelligatur,hanc ſphęrarum diſpoſitionem in vno aut altero aſtro exponamus. Saturno quatuor ſphæræ à Calippo tributę fuerunt, quæ Saturni ipſius motiones omnes,quæ apparēt,perficerent. Ac prima quidem ſuper polis vniuerſi ad eandem partem & eadē velocitate,qua octaua ſphęra,conuerteretur, altera ei cōtigua ſuper polis zodiaci ab occaſu ad ortum. tertia haberet polos ſuos in zodiaco, & à Meridie ad Septētriones deferretur. quarta & poſtrema, cui Saturni ſtella infixa eſt, prohiberet, ne ſtella per tertij orbis motum ad polos vſque zodiaci ferretur. his ſphæris à Calippo poſitis, tres alias Ariſtoteles adiungit: quarum prima eoſdem polos & axem, quos poſtrema dictarū quatuor (quas,facilitatis gratiâ, deferentes, quoniā aſtrum ferant,adiectas verò,reuoluentes,quia reuoluant, nominabimus) obtinet, eíſque innixa ad oppoſitam partem æqua fertur velocitate. quo fit vt quartæ deferentis motus nulli inferioris planetæ ſphærarum communicetur. Altera reuoluens ſuper iiſdem polis & axe, quibus & tertius orbis deferens, ęquè velociter in contrarium cietur: & ne tertij illius deferentis inferioris planetę orbes motu communicent, efficit. Quod idem euenit in tertio orbe reuoluente: quippe qui ſuper axe ſecundi deferētis æquè velociter ad oppoſita mouetur. Itaque impedit ne illius motum inferiores orbes accipiāt. Ita ſe habent ſphæræ Saturni, quas eodem ordine & modo eæ, quæ Iouis ſunt, ſequuntur. Primus autem deferens,nullum reuoluētem accepit,propterea quòd (vt diximus) primum ſuperiorémque cuiuſque planetæ orbem impediri ac retrouerſari minimè oportebat,cùm octauę ſphæræ motione omnes cieantur: quæ motio & orbes inferiores à proprio ſitu non remouet, & illis neceſſariò eſt communicanda. Sed non ſolùm primo cuiuſque deferenti nullum reuoluentē Ariſtoteles dedit. Verùm etiam nulli ipſius lunæ, quandoquidē infra lunam nulli alij eſſent orbes, quorum ſitus idem conſeruandus eſſet, quíque impediri deberēt,

ne lunæ motionibus participarent. Atque id eſt, quod ait, eas ſolas ſphæras minimè retrouerſari, in quibus infimum aſtrum poſitum eſt. Quod dictum D. Thomas ad infimam cuiuſque planetæ ſphæram, in qua ſtella eſt infixa, ineptè retulit, quum ſatis intelligere liceret, de luna ſermonem eſſe, quippe cùm ſex tantùm aſtrorum reuoluentes numerentur: ſex nempe duorum ſuperiorum Saturni & Iouis, ſexdecim aliorum quatuor. Ita ergo Ariſtotelis ſententia quinquaginta & quinque ſphæræ numerantur. Sed illud mirandum ſubit, quonam pacto cùm ſint quinquaginta & quinque, ſi ab eis demantur, quæ ſoli & lunæ adiunctæ ſunt, quadraginta & ſeptem (vt ait) remaneant. Nam ſi duæ ſolis, duæque lunæ, quas Calippus adiecerat, auferãtur, præterea & aliæ duæ reuoluentes à ſole: ſublatis enim duabus ſolis deferentibus, reuoluentes etiam, quæ illis reſpondent, tollantur neceſſe eſt, ſex tantùm erunt, quæ auferentur, quas ſi ex quinquaginta & quinque dempſerimus, quadraginta & nouẽ manebũt. An verò (vt Alexander & Simplicius inquiunt) nonnullas lunæ reuoluẽtes adiectas fuiſſe, ob eámque cauſam duas tantùm ſphæras, non quatuor ab ea demi poſſe, oblitus eſt? an potius quatuor illas retrouerſantes, quas ſoli adiecit, ab eo demendas ait, cum binis deferentibus, quas vtrique ſoli videlicet & lunæ Calippus adiecerat, vt hoc modo octo demantur? An, quia hoc de ſole magis quàm de cęteris dici debere, non videtur, fortaſſe, vt Soſigeni quoque placuit, ſcriptorum culpâ euenit, vt loco quadraginta nouem, quadraginta & ſeptem ſcriptum fuerit? Cæterum, quæ de orbiũ horum ſitu, interuallis, ordine & motione, quæ ex Eudoxi & Calippi ſententia Ariſtoteles retulit, quæ item de retrouerſantium orbium, quos ipſe adiecit, neceſsitate & vſu dici poſſent, nunc omittentur, quòd prolixa admodum explanatione ac diſputatione egeant, quæ Aſtrologorũ magis eſt propria, quàm eius, qui de rebus diuinis diſſerere inſtituerit. Illud verò monebo (quod etiam Simplicius fecit) hanc Eudoxi, Calippi & Ariſtotelis perſcrutationem, vt ingenioſam quidem acutámque, ſed tamen ad eorum, quæ in cælo appa-

rent, cauſas reddendas minimè ſufficientem probatam fuiſſe. Plurima enim eſſe non eorum ſolùm, quæ à poſterioribus aſtrologis ſunt obſeruata, quemadmodum & nonæ ſphæræ motus, item is, qui titubatio dicitur, quem aiunt ab Arabibus adinuétum eſſe, verumetiam ex iis, quę ea tempeſtate ſatis erant perſpecta, quemadmodum ſunt errantium progreſſiones, retroceſsiones, & ſtatus, quæ ſemper æquales non ſunt, ac ipſa quoque planetarum corpora, quæ non ſemper eiuſdem molis ſe offerunt, quorum omnium cauſæ ex illa orbium multitudine reddi ſatis non poſſunt. Quod quidem fortaſſe Ariſtoteles minimè ignorauit, ob eámque cauſam, quæ tradidit, non conſtanter aſtruxit, ſed tum cæterorum ſcripta excutienda eſſe, illiſque omnibus, qui aliquid inueniſſent, gratiam habendam, ſed eis credendum, qui accuratius diſſeruiſſent, tum verò neceſſarias demonſtrationes apud peritiores requirendas eſſe docuit. Illud etiã Simplicius in horum trium virorum de orbium numero ſententia eſt admiratus, quòd ſingulis planetis ſingulos attribuerint deferentes orbes, qui motu octauæ ſphæræ, & ęquè velociter ac illa mouerentur: çùm illa, quam primam omniũ, primúmque mobile eſſe cenſent, ad omnes orbes inferiores eodem motu cõuertendos ſufficere videatur, præſertim cùm nullus reuoluens orbis ab Ariſtotele additus eſſet, qui octauæ ſphærę motionem retrouerſaret. Sed de hac re tota Simplicius in commentariis librorum de Cælo diligenter ac copioſè diſſeruit. Diſſeruerant & alij viri doctiſsimi, ex his etiam, quos noſtra tulit tempeſtas, veluti Hieronymus Fracaſtorius, vir ſingulari diſciplinarum omnium peritia præditus & perfectus, libro ædito, in quo hanc partem eleganter & doctè interpretatus eſt, variorúmque motuum & ſtatuum, quibus ſtellę errantes præter corporis, è quo conſtant, naturam cieri & ſtare videntur, cauſas ſubtiliter reddidit, his Aſtrologorũ placitis repudiatis, quæ naturæ cæleſtis corporis videbãtur aduerſari. Illi enim per eccentricos orbes, quos primũ omnium, (vt teſtatur Nicomachus) inuenere Pythagorei, & globulos quoſdam, qui epicycli dicti ſunt, apparentium omnium cau-

ſas reddunt, cùm tamen natura nec eccentricos, nec globulos illos vllo modo patiatur. De hac eadem re Io. Baptiſta Amicus ante aliquot annos, cùm omni liberali doctrina pro ætate politiſsimus eſſet, vita functus diſſeruit, Calippi & Ariſtotelis ſententiâ expoſitâ, &, (cùm ea ad apparentiũ cauſas reddendas non ſatis eſſe videretur) principiis nonnullis excogitatis, quibus ſine eccentricis & epicyclis, eorũ (etiam minutiſsimorum) cauſæ redderentur.

Quamobrem & ſubſtantias & principia tum immobilia, tum quæ ſub ſenſum cadunt, tot numero eſſe exiſtimare, rationi conſonum eſt. neceſſitas enim valentioribus dicenda relinquatur.

Conſonum rationi, non autem neceſſarium, inquit Ariſtoteles, quoniam, vt Alexander ait, ſphærarum numerũ ſimpliciter protulit, nulla verò neceſſaria monſtrauit ratione, id muneris eis relinquens, qui, cùm in hoc genere ſint peritiores & valentiores, accuratius, & magis exactè de eo poſſunt diſſerere. Simplicius autem in commentariis librorũ de Cælo locum hunc exponẽs inquit, Hoc propterea dictum fuiſſe, quòd (vt antea monuimus) hanc de quinquaginta quinque orbibus opinionem non neceſſariò veram eſſe exiſtimaret. cõſentaneum tamen rationi eſſe, ei aſſentiri, donec verius aliquid compertum fuiſſet. Cùm verò de ſphęrarum numero ita res habeat, neceſſarium tamen videtur, vt ſi ea, quæ expoſita eſt, illarum ſit multitudo, totidem ſubſtantiæ immobiles ſeu principia mouentia exiſtant. Siquidem vna ab vno mouetur, omniúmque primam mouens primus ciet.
Quærit verò Alexander in commentariis ſuis, an principia hæc immobilia, ſphærarum animæ & formæ ſint, an earum animabus præſtantiora quædam principia, ab omni prorſus corporis cognatione liberata. Cui quæſtioni reſpõdet, ſphærarum animas non eſſe, ſed alias quaſdam ſubſtantias corporis expertes ſphærarum animabus ſuperiores & digniores. Cùm autem huic ſententiæ poſſe aliquem obiicere, quod

Auerrois, deinde & alij multi obiecerunt, videret, ſubſtantias illas otioſas fore, & nihil agentes occurrit docens, non ab animabus ſolùm, ſed à ſubſtantiis etiam illis ſphæras moueri, quo modo & inerrantium ſphæra, tum ab anima ſua, tum à primo intellectu mouetur, à quo, vt ſine fine moueatur, accipit, quandoquidem anima id impartiri non poteſt. Sed hanc de Cælorum animabus Alexandri ſentẽtiam, tametſi magnam habet probabilitatem, in his, quæ antea expoſuimus, vt minus firmam, minúſque neceſſariam non probauimus: iis potiſsimũ argumẽtis ducti, quòd nulla animarum eiuſmodi apud Ariſtotelem mentio fieret, & ſubſtantiæ immobiles, motus ſphærarum cauſæ eſſent effectrices, quæ ad illum efficiendũ ſufficerent. hæc quoque de ſubſtantiarũ immobilium numero nunc tradita, illud ipſum declarant, quippe cùm totidem eſſe, quot ſphæras minimè oportebat, niſi efficienter illas mouerent, nec pro motus ſempiternitate impartienda ſingulas ſingulis ſphæris aſsignare neceſſariũ erat, quandoquidem vna quædam, videlicet prima, ſatis præſtare id potuiſſet.

Quòd ſi nulla eſſe poteſt latio, quæ deferendi aſtri gratia non ſit, omnis item natura ſeu ſubſtantia impatibilis, ac per ſe, optimi finis rationẽ nacta eſſe cenſenda eſt, nulla profectò præter has natura alia erit, ſed hic ſubſtantiarum numerus ſit neceſſe eſt. Si quæ enim aliæ eſſent, mouerent certè, vtpote lationis fines. at aliæ præter eas, quę traditæ ſunt, lationes eſſe non poſſunt.

Subſtantias immobiles totidem, quot ſphæræ, quæ perpetuò conuertuntur, neceſſariò eſſe demonſtratum eſt: nunc plures illis eſſe non poſſe demonſtratur. Ac id quidem duabus ſumptis hypotheſibus: quarum vna eſt, nullam eſſe lationem, quæ aſtri alicuius deferẽdi gratiâ non ſit, ad illúdque conuertendum momentum aliquod non habeat. Altera eſt,

ſubſtantiam ſeu naturam impatibilem & per ſe, optimum finem eſſe. E quibus duabus hypotheſibus colligit, nullá aliam ſubſtantiam immobilem præter eas, quæ traditæ ſunt, eſſe poſſe. Si enim aliqua ſtatuatur, fieri, vt aut non moueat, finíſque optimi rationem non habeat, quod eſt contra ſecundam hypotheſim, aut ſi mouebit, alicuiúſque lationis finis erit, lationem illam, cuius erit finis, aſtro nulli deferẽdo conducturam, quod primæ hypotheſi aduerſatur. hoc verò conſequitur eo poſito, quod aſtris deferendis lationes traditæ, & ipſis lationibus efficiendis ſubſtantiæ immobiles expoſitæ ſufficiant, quod quidem ita ſe habere antea expoſitum eſt. Quod autem in prima hypotheſi ſumptum eſt, verum eſſe hinc ſcire licet, quòd aſtra per ſe moueri, aut in pilę modum, vt multi cenſuerunt, volutari non poſſunt, ſed in orbibus infixa, illorum motu perpetuo cientur, vt nulla alia orbium ipſorum ponendorum neceſsitas fuiſſe videatur, quàm vt aſtra deferrent, & in orbem perpetuò conuerterent, & ſi qui eſſent ἄναστροι, qualis maior illorum pars eſt, aſtri ipſius motionem adiuuarent, authoréſque eſſent, vt variis motibus, qui à nobis conſpiciuntur, aſtrum cieretur, quemadmodum de ſphæris, quæ ſingulis aſtris tributæ ſunt, antea eſt traditum. Ita liquidò conſtat, nullam eſſe lationem, quæ deferendo aſtro aliquid non conducat. Quod verò de ſubſtãtia impatibili & per ſe, hoc eſt, corpori aut magnitudini non coniuncta (hoc enim valet illud per ſe) in altera hypotheſi ſumitur, idipſum procul dubio eſt, quod antea tradidit, cùm ſubſtantiam immobilem optimam eſſe, atque, vt res expetenda ſolet, mouere, vniúſque finis generis, hoc eſt, finis cui, rationem habere declarauit. Nam quanuis de ſubſtantia prima immobili tradita illa eſſe videantur, omnibus tamen accõmodari poſſunt, cùm naturæ eiuſdẽ ſint atque eſſentię. Quãobrem vt eo in loco efficientiæ rationem à ſubſtantia immobili non remouebat, tametſi ita loqueretur, perinde atque motus cæleſtis finem duntaxat eſſe, & vt finẽ mouere ſubſtantiam illam vellet, ita ne his quidem in verbis, in quibus ſubſtantiæ immobiles lationũ fines eſſe ſtatuuntur. Ita enim,

lationũ fines ſunt, vt illas tamen efficiant, ſed ſuipſarũ gratia.

Hoc autem ex his, quæ feruntur exiſtimare, rationi conſonũ eſt. Nam ſi omne, quod defert, ſuapte naturâ eius, quod defertur, gratiâ ſit, nullam certè lationem ſuipſius, aut lationis alterius, ſed ſtellarum cauſâ eſſe conſequitur. Si enim latio lationis cauſâ erit, illa quoque aliarum cauſâ ſit, neceſſe eſt. Quapropter, cùm in infinitum progredi non queant, diuinorum aliquid, quæ in cælo feruntur, corporum, lationis omnis finis erit.

Quod in proximè expoſitis verbis ſumpſit, nullam eſſe lationem, quæ ad deferendum aſtrum aliquod non ſit comparata, corroborat, ratione ſumpta ex natura eorum, quæ feruntur, quam eiuſmodi ait eſſe, vt id, quod defert, eius, quod defertur, ſit gratiâ. Nam ſi eius quod defert, latio, eius, quod defertur, gratiâ non ſit, effici, vt aut ſuipſius gratiâ ſit, aut alterius lationis, quorum neutrum concedi debet, ne, ſi alterius eſſe concedatur, progreſsio ſit in infinitum, quandoquidem & illa alterius gratiâ erit & illa alterius. Suipſius autem gratia eſſe nemo dixerit, quippe cùm fruſtrà id, quod defert, deferret: nec ob aliud latio illa eſt, quàm vt illud deferatur: quę & ſi ad id, quod defert, referri poſtremò, vt ad finem poſsit, eius tamen, quod defertur, gratià primùm ſit neceſſe eſt. Quemadmodum ædificatio, ædificantis quidem gratiâ poſtremò eſt, ſed tamen primum propter domum eſt comparata: ſed hanc rationem Ariſtoteles, vt notam fortaſſe prætermiſit. In eo verò inſtitit, vt doceret, alterius lationis gratia non eſſe, & id quidē in lationibus ſphærarum, quarum gratia ratio concluſa eſt. Colligit igitur, cùm nec ſuipſius, nec alterius lationis gratia latio vlla eſſe poſsit, ad diuinorum eorum, quæ in cælo feruntur, corporum aliquod ferendum vnamquanque eſſe comparatam, aſtrúmque aliquod omnis lationis finem eſſe. Sed dubitatio exiſtit, quo-

nam modo diuina illa corpora lationum fines eſſe queant, cùm paulò antè dictum ſit, ſubſtantias immobiles earundem fines eſſe, finiſque optimi rationem poſsidere? An verò incõmodum nullum eſt, vnius, & eiuſdem rei diuerſos fines eſſe, vt fabricationis domus, cuius nunc meminimus: vnus quidem ipſa domus, quam architectus extruit, alter verò homo cui ad tutelam & commoditatem paratur. Ita igitur & lationum cæleſtium varij fines eſſe poterunt, quorum vnus cæleſtia ipſa ſunt corpora, videlicet ſol & reliqua ſydera, quę ſplendore ſuo omnia illuſtrant & fouent, in orbémque perpetuò rapiuntur. Alter eſt rerum, quæ oriuntur & occidunt, ortus & interitus perpetua conſeruatio, quæ ſyderibus, & ſole potiſsimum, in orbem non circũlatis nullo modo eſſe poſſet. Sed ſupremus atque præcipuus illarum lationum finis, ſubſtantiæ ſunt immobiles, quæ optimæ cùm ſint, ſumméque deſiderabiles, ſuámque perfectionem & bonitatem cæleſtes ſphæras mouendo conſeruari intelligant, ſuiipſarum amore ductæ ad illas mouendum excitantur.

Illud verò perſpicuum eſt, cælum vnum eſſe. Nam ſi plures, quemadmodum homines, ſunt cęli, vniuſcuiuſque principium ſpecie vnum erit, & numero multiplex. At quæ numero multa ſunt, materiam habent. Vna enim & eadem multorum ratio eſt, veluti hominis. Socrates autem vnus eſt. Prima verò eſſentia, quandoquidem actus eſt, materiam non habet. Primùm ergo illud mouens, quod immobile manet, & ratione & numero vnũ eſt, quapropter & illud, quod perpetuò & continenter mouetur, vnum erit, cælum itaque vnum.

Hæc de mundi vnitate (nam per cælum mundum intelligit) demonſtratio ad hunc locũ pertinere non multũ videtur, quanquã Alexander inquit, ei qui de principio mouente

diſſeruit, de corpore, quòd moueatur, inquirendum etiam manere. Fortaſſe verò ad illud pertinet, vt id, quod demonſtratum eſt, confirmetur: nempe ſubſtantias immobiles his, quæ traditæ ſunt, neceſſariò plures non eſſe. Nam ſi mundi plures eſſent, nec hic, in quo degimus, ſolus exiſteret, alias quoque immobiles ſubſtãtias eſſe oporteret. quippe cùm ſinguli orbes ſuos haberent, qui ſuis motionibus à propriis mouentibus cierentur. Vnum ergo eſſe mundum ob hanc fortaſsis cauſam Ariſtoteles demonſtrat, quod quidem in primo de Cælo, ſed alia ratione, antea monſtrauerat. niſi diceretur hanc demonſtrationem ad cõfirmandum id, quod dixit, in lationibus progreſsionem in infinitum non eſſe, pertinere. Nam qui mundum vnum ſtatuunt, lationes finitas ponere coguntur: nempe eas, quas oculis ſpectamus. Sed quæcunque tandem eius rei demonſtrandæ occaſio fuerit, demonſtratio ex eo vim ſuam ſumit, quod in libris de Cælo demonſtratũ eſt, mundos plures, ſi eſſent, eos numero duntaxat, non item ſpecie poſſe differre, quippe qui ex iiſdẽ ſpecie ſimplicibus corporibus conſtarent, iiſdémque ſpecie motionibus cierentur. Quod cùm ita haberet, efficeretur quoque, vt primi eorum mouẽtes non maiori inter ſe differentia diſcreparent, quandoquidem ratio non patitur, vt mouentes effectricéſque cauſæ maiori inter ſe diſtent interuallo, quàm ea, quæ ab eis mouentur. Itaque plures eſſent mouentes primi numero duntaxat, non item ſpecie differentes. hoc autem eſſe non poſſe, Ariſtoteles nunc docet. Ea enim inquit numero multa eſſe, & ſpecie inter ſe non differre, quæ materiam habent, cuius ſubſtantias immobiles & mouentes primos expertes eſſe, quippe, quæ ſint actus, traditũ eſt. Eſſentia enim prima materiam (inquit) non habet, per eſſentiam primam, quod ipſe τὸ τί ἦν εἶναι τὸ πρῶτον nominat, primam immobilem ſubſtantiam intelligens, aut certè primam cuiuſque rei eſſentiam, ad quam materia nullo modo pertinet, vt quæ forma ſit & entelechia. Primi itaque mouentes cùm eſſentiæ eſſent quædam materiæ expertes, fieret vt numero ſolo inter ſe differre non poſſent. quod tamen ac-

cideret, ſi plures mundi ponerentur. Porrò perſpici huic licet, quæ de multitudinis ac numeri in eadem ſpecie cauſa ſit, Ariſtotelis fuerit ſententia, ſiquidem materiæ manifeſtè id tribuit. Alibi etiam apertè hoc ipſum docuit, tum in hoc ipſo opere, tum in libris de Cælo. Nam & ea vnum numero eſſe, quorum materia eſt vna: diuerſa, quorum diuerſa tradidit, & multa numero illa eſſe, quæ materiâ cõſtat, quorúmque ſubſtantia in materia eſt poſita. hinc mundi vnitatem, in primo de Cælo demonſtratam ſibi ipſi obiiciens dubiam eſſe, pluréſque mundos aut eſſe, aut eſſe poſſe oſtendit, quandoquidem materiâ mundus conſtet. Quanquam rationẽ eam momentum in ſe nullum habere poſtea docuerit, quòd non quemadmodum alia, quæ materiam habent, ex illius parte quadam, ſed ex tota conſtaret, cùm extra vniuerſum nihil ſit omnino, ob eámque cauſam neceſſariò vnum eſſe, quod omnia intra ſe cohibeat. E quo loco intelligitur non perpetuò materiam multitudinis in eadem ſpecie cauſam eſſe, ſed tum ſolùm, cùm res ex tota materia non cõſtat. Vnicus enim homo neceſſariò eſſet, ſi ex tota materia hominibus gignendis idonea cõſtaret. Quemadmodum & ſol vnicus eſt, quoniam materiã totam, ex qua conſtare aptus eſt, nullius mortalitatis participem intra ſe habet. Sed de his aliás. Illud verò, à materia multitudinem proficiſci, inde quoque ſcire licet, quòd ipſa eſſentia ex ſe differentiam nullam habet. Eodémque modo ab omnibus participatur, vt ſi ad eam materia, & quæ materiam conſequuntur, non acceſſerint, vnica numero res maneat, neceſſe ſit. Quæ autem à nonnullis de differentia indiuiduali, quam echeitatem nominant, excogitata ſunt, ſubtilia quidem & ingenioſa videntur, ſed in Ariſtotelis doctrina vana ſunt & cõmentitia, nullámque firmitatem habentia. Quis enim vel mediocriter in Ariſtotele verſatus ὕλην, hoc eſt, materiam pro echeitate ſumptam inquam legit? Eam materiã multitudinis in eadem ſpecie cauſam Ariſtoteles vult eſſe, quam ſubſtantiis immobilibus negauit, cuius natura potentia eſt. Ac de his quidm ſatis. Cùm igitur primus mouẽs vnus duntaxat numero ſit, nempe ma-

teriæ expers. Vnum etiam primũ, quod perpetuò & cõtinenter mouetur, eſſe concludit: itaque cælum vnum. Vſurpauit autem (vt antea monui) οὐρανὸν, vt vniuerſum ſignificat, quẽadmodum ſæpe in libris de Cælo conſueuit.

Eſt autem ab antiquis veteribúſque fabulæ modo traditum, poſteríſque relictum, & deos hos eſſe, & totam naturam diuino numine cõtineri. Reliqua verò fabuloſè allata ſunt, cùm ad multitudinẽ perſuadendam, tum ad legum, & eius, quod cõducit, vſum. Humana enim aliorúmque animalium ſpecie eos effingunt, alia etiam complura, quæ hæc conſequuntur, ac cum iis, quæ dicta ſunt, ſimilitudinem habent, adferunt. A quibus ſi quis primùm illud abiunxerit, ſumpſerítq; illos, primas ſubſtantias deos eſſe exiſtimaſſe, diuinè dictum eſſe arbitrabitur, ac (vt veriſimile eſt) vnaquaq; arte & philoſophia ſæpius (quoad facultas tulit) inuentis, ac rurſus deletis, has quoque illorum opiniones, quaſdam veluti reliquias, vſque nunc ſeruatas fuiſſe. Paterna itaque ac maiorum opinio hactenus ſolùm nobis perſpecta eſt.

Conſueuit Ariſtoteles placita ſua maiorum authoritate (ſi fieri poſsit) confirmare, & cum his, quæ à cæteris, qui de iiſdem rebus diſſeruerunt, aut apertè, aut inuolutè tradita ſunt, conſentientia eſſe oſtendere. Hoc igitur in diſputatione de ſubſtantiis immobilibus, ſeu de diis nunc facit. Quos cùm eſſe, cæleſtéſque ſphæras motibus ſuis ciere, cælúmque & naturam ab illis ipſis pẽdere docuiſſet, ait à veteribus antiquíſque fabulæ modo traditum, poſteríſque relictum fuiſſe, & deos hos eſſe, & totam naturam diuino numine contineri. Cætera verò, quæ de diis fabuloſè dixerunt, quemadmodum huma-

nam, vel aliorũ animalium ſpeciem eos habere, alióſque ex aliis procreatos omnia hæc excogitata eſſe, tũ ad vulgi perſuaſionem, vſúmque legum, tum ad vitæ humanæ vtilitatẽ. A quibus tamen omnibus fabuloſè effictis, ſi quiſpiam primũ illud abiungat, quòd primas ſubſtãtias deos eſſe crediderunt, hunc diuinè ab illis pronuntiatum eſſe arbitraturũ, veterémque hanc de diis ſententiam antiquis illis temporibus floruiſſe, & ad eam vſque ætatem (quaſdam veluti reliquias) perueniſſe crediturum, vnaquaque arte & philoſophiâ alluuiorum temporúmque iniuria ſæpius deletis, rurſúſque (quoad fieri potuit) exortis. Hæc Ariſtoteles. An verò res ita habeat, vt mentes has materiæ expertes fabulis ſuis veteres illi inuolutas intellexerint, nécne, difficile cognitu eſt. Quippe cùm nihil in eorum monimentis legatur, quod de eo certiores nos faciat. Illud verò compertum eſt deos eſſe, naturámque totã numine diuino contineri ab illis (quanuis fabuloſè) proditum fuiſſe, quale illud eſt, Iouis omnia plena. Illud item ad vulgi perſuaſionem, vſum legum, humanǽque vitæ vtilitatem fabulas de diis effictas fuiſſe, ita habet. Non enim temerè aut inutiliter humanâ forma deos effinxerũt, ſed vt homines à mutuis vulneribus (vt Alexander ait) deterrerentur, memores, qui hominem lædit, diuinam formam lædere, atque iniuria afficere. Aliorum etiam animalium figuras non ſine hominum magna vtilitate diis tribuerũt, veluti Ibium, quos, cùm ſerpentium innumera multitudo AEgyptum vaſtaret, eorúmque vim maximam ab illis confici AEgyptiorum maiores intelligerent, quo homines ab interficiendis illis gentis ſuæ conſeruatoribus deterrerentur, lege cauerunt, ne cui liceret interficere: deos enim, ſi quibus apparerẽt, in Ibium forma ſeſe oſtendere. Nec verò ſolæ belluæ in deorum numero à maioribus ſunt habitæ, ſed res quoque inanimatæ multæ ex magnis earum beneficiis, deorum nominibus nuncupatę & cultæ. Quicquid enim magnam vtilitatem afferret generi humano, id non ſine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat à Deo natum, nomine ipſius dei nuncupabant: vt cùm fruges Cererem appel-

larent, vinum autem Liberum, ex quo illud Terentij, Sine Cerere & Libero friget Venus: tum autẽ rem ipſam, in qua vis ineſt maior aliqua, ſic appellarunt, vt ea ipſa vis deus nominaretur, vt fides, mens, quæ in capitolio erant dedicatæ. Duo præterea alia deorum genera apud veteres fuiſſe leguntur. Vnum eorum, qui ob beneficiorum multitudinem, quibus homines affecerant, in deorum numerum fuerunt relati, vt Hercules, Caſtor, Pollux, & alij. Aliud eorum, quos ratione aliqua Phyſica in deos referre hominibus (& poetis præſertim) placuit. veluti Saturnus, quem eum eſſe voluerunt, qui curſum & conuerſionem ſpatiorum ac temporum contineret, vt Græcũ nomen κρόνος, quod idem valet, quod χρόνος, indicat. Saturnum autem appellatum eſſe, ait Cicero, quòd ſaturaretur annis: ex ſe enim natos comeſſe fingere ſolitum, quia conſumit ætas temporum ſpatia, anníſque præteritis inſaturabiliter expletur. Cùm verò hunc in modum deos ſuos fabulis inuolutos veteres tradidiſſent, primáſque ſubſtantias fabuloſa illa tradendi ratione deos eſſe intellexiſſent, hanc illorum de diis ſententiam, quaſdam veluti reliquias, vſque nunc ſeruatam ait fuiſſe, quaſi diceret, opinionem de diis diuinóque numine totam naturam continente nouam non eſſe, ſed veterẽ & antiquam, etſi fabuloſe proditam. Reliquias autem, inquit, quòd multa alia & de diis & de aliis rebus veteres illi prodidiſſent, quæ temporum iniuriâ exciderint. Opinionem autem de diis illorum eſſe reliquias, quæ ſcientiis & artibus, ſæpius (vt veriſimile eſt) deletis, & (quoad fieri potuit) rurſus inuentis, hactenus fuerit reſeruata. huic ſimile eſt, quod in primo de Cælo de ipſius cæli ſempiternitate, quam demonſtrauerat, tradidit. Opinionem enim eam nouã non eſſe docuit. Sed apud veteres primùm floruiſſe, qui eius rei gratiâ αἰθέρα, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν, hoc eſt, ab eo, quod ſemper curreret, cælum ipſum nominarint, opinionémque eiuſmodi excidiſſe, quòd opiniones infinities aboleantur, eædémque infinities exiſtant. Quod igitur ibi de cælo & opinionibus traditũ eſt, hic de diis & ſcientiis atque artibus traditur. Nec verò mirandum, ſeu opiniones, ſeu ſcientias, ar-

téſque interire, rurſúſque exiſtere: quandoquidem eluuiones, incendia, peſtes, & bella, eius generis eſſe queunt, quæ maximam orbis partem ad internecionem veluti ducant. ipſæ etiam per ſe opiniones, artéſue & ſcientiæ ab hominibus neglectę interdum euaneſcunt atque abolentur, tum poſt certa temporum interualla cæleſtibus corporibus ad id vim ſuam influentibus eædem exoriuntur.

Quæ autem ad mentem pertinent, dubitationes aliquas habent. Omnium enim eorum, quæ perſpiciuntur, diuiniſsimum eſſe videtur. at quo pacto ſeſe habens eiuſmodi ſit, id tum demum explicatu difficile eſt. Nam ſi nihil intelligit, quidnam præclarum erit? quippe, qui dormienti ſimilis habebitur. Sin intelligit, atque huius alia res ſit author, quandoquidem id, quod eſſentia eius eſt, intellectio non eſt, ſed potentia, ſubſtantia profectò optima non erit. Ex intelligendi enim actu præſtantia dignitáſque illi ineſt. Iam verò ſiue mens, ſiue intelligendi actus eius ſit ſubſtantia, quidnam intelligit, aut enim ſe ipſam, aut diuerſum aliquid, quod ſi diuerſum, idémne ſemper, an aliud & aliud? An igitur quicquam, an nihil potius refert vtrum, quod præclarum eſt, intelligat, an quiduis, an aliqua intelligat, abſurdum eſt.

Præſtantiſsimam Dei actionem, cuius meritò ſummam admirabilitatem in ſe habere dictus eſt cum dubitationibus nonnullis coniunctam eſſe, commonefacit: & quæ ſint dubitationes eiuſmodi aperit, eáſque actione ipſa conſtituta & patefacta breuiter diſſoluit. Ea autem eſt intellectio, de qua dubitando hac via ingreditur. Aut enim (inquit) mens illa diuina nihil intelligit, & in otio agit, aut in alicuius intelli-

gentia verſatur. Ac ſiquidem nihil intelligit, præclara profectò, præſtánſque & eximia res non erit, imò verò à dormiente non differet, qui intelligendi quidem vim habet, ſed ſomno detentus nihil intelligit. Si verò intelligat, & quidpiam contempletur, dubium exiſtit, an per aliquam potentiam intellectio illa ei inſit, in eóque intelligẽdi munere verſetur, ita vt illa intelligendi ſit author, nec ipſius mentis ſubſtantia intellectio ſit, an potius ipſa per ſe intelligat, ſuáque ipſius ſubſtantia ſit intellectio, quæ à potentia nulla proficiſcatur. Nam ſi primùm affirmetur, mens illa, ſubſtantia profectò optima non erit: quippe quæ perfectionem ſuam maximam ipſa per ſe non habeat, ſed ab alio, hoc eſt potentia, & intelligendi actu, qui eius ſubſtantia non ponitur, accipiat. Quòd ſi ipſa per ſe non per aliquam potẽtiam intelligat, ſuáque ipſius ſubſtãtia intellectio eſſe ſtatuatur, aliud dubiũ exoritur, quidnam videlicet intelligat: an ſe ipſa ſolùm, an diuerſum aliquid, & ſi diuerſum, idémne ſemper, an aliud & aliud: præterea an quæuis ſine vllo diſcrimine, ſeu bona ſint & pręclara, ſeu mala & vilia, an aliqua intelligat & contempletur, abſurdum eſt. hæ primæ ſunt dubitationes, quę de Dei intellectione exoriũtur. Quarum omnium perſpicua ſatis eſt intelligentia, eo vno excepto, quod in ſecũda dubitatione proponitur, quandoquidem quid per potentiam, quæ intellectionis author ponatur, intellexerit non planè apertum eſt. Alij enim (vt Auerrois) ad obiectum externũ referunt, quod vt in nobis euenit, intellectum excitando intellectionis author videtur, quæ intellectio extrinſecus pendens idem non eſt, quod ipſa intelligẽs ſubſtãtia. Alij verò (vt Alexander) ad potentiã intelligẽdi referũt, quę vt intellectus intelligat, cauſa videtur eſſe, quippe quæ niſi eſſet, intelligere intellectus non poſſet, eáque ab intellectus ſubſtantia diuerſa eſt. Quę ſententia ei, qui hunc locũ diligẽter expendit, probabilior ſuperiori videatur, neceſſe eſt. De obiectis enim intellectum mouentibus in ea, quæ ſequitur, dubitatione ſermo eſt, cùm dubitatur an ſe, an diuerſum quidpiam intelligat. Senſus ergo dubitationis talis eſt, Vtrum mentis intellectio ſuaipſius

ſubſtantia non ſit, ſed ita mens illa comparata ſit, vt facultatem, qua intelligere poſsit, à ſua ſubſtantia diuerſam obtineat, qualis facultas in nobis, noſtráq; mente ineſt. Perſpicua verò Ariſtotelis ratio magis eſſet, ſi cùm ait, ὀυ γάρ ἐστι τοῦτο, &c. legeretur ὀυ δὲ ἐστι τοῦτο, &c. hoc eſt, nec id, quod eſt ſubſtantia eius, intellectio eſt. Illa enim particula γὰρ, cauſam reddens, difficultatem facit, cùm nulla cauſę redditio eſſe videatur. Quin potius aliud antecedens, ex quo vnà cum priori conſequens colligatur, hunc in modum: Sin intelligit, & huius aliqua res eſt author, nec id, quod eſt eius ſubſtantia, intellectio ſit, ſed potentia, ſubſtantia profectò optima non erit. Quare illud γὰρ, loco δὲ, accipiendum videtur, quod ſæpe fieri ab Ariſtotele ex Alexandro didicimus. Niſi ita exponamus: Sin intelligit, & huius aliqua res ſit author, quia id, quod eſt eſſentia eius, intellectio eius non ponatur, ſed potentia: qui exponendi modus defendi poteſt, vt illud non ſit alterum antecedens; ſed eius, quod mox dixit, veluti explicatio. Sed vtro modo exponatur, conſequitur certè, vt optima ſubſtantia, ſi eius intellectio & eſſentia differunt, non ſit, quandoquidem præſtantiam ſuam ab actu intelligendi, qui diuerſus ponitur, & potentia illa accipiet. At in actu quidem intelligendi præſtantiam dignitatémque eius mentis conſiſtere dubium non eſt, neque id affirmare abſurdum eſt, ſed illud, actum videlicet intelligendi à ſubſtantia mentis diuerſum eſſe. Quod ad priorem dubitationem attinet, dormienti, ſi nihil intelligat, mens aſsimilatur; quòd quemadmodum dormiens potentiam quidem intelligendi habet, actu tamen nihil intelligit, ita & mens illa intelligendi vi prædita erit, actu nihil contemplans. Quo fit, vt hoc modo ſe habẽs, pręclarum nihil in ſe ſit habitura. Quid enim præclarum in eo, qui dormit, eſſe poſsit, quandoquidem actionibus ſuis propriis deſtituitur? An verò ignem pręclarum iudicabimus, qui non calefaciat? aut cibum, qui non alat? quis artifex cõmendatione dignus eſt, qui non ea, quæ artis ſuæ ſunt, agat & moliatur? Inde hominis fœlicitatem in virtute actuoſa Ariſtoteles ponit, quoniam virtus quæcunque, ſi ab opere ſuo

vacauerit, à propria perfectione receſsiſſe multum videtur. In Olympicis ludis (in primo Ethicorum idem author ait) non ij, qui eleganti ſunt forma, aut corpore robuſto, coronantur, ſed qui decertãt. Ex actione igitur cuique rei propria omniũ perfectio dependet: operéque & actione omnia definiuntur. Quamobrem nulla in Deo mẽtéque illa perfectio erit, nulla præſtantia, ſi otio marceſſere, & veluti dormiens ab intellectione vacare ſtatuatur. Intelligit itaque, nec dormit, nec vt dormiat (quemadmodum ferunt de Endymione) timendum eſt. Cæterũ quid intelligat, vtrum ſe, an diuerſum quidpiam, & illud, an ſemper idem, an aliud & aliud, præterea an bona ſola, an quæuis ſine vllo delectu, an verò quædam intelligat, abſurdum eſt, hæc, inquam, omnia inquiſitione digna ſunt, quæ in verbis ſequentibus explicantur.

Illud itaque perſpicuum eſt, eam id, quod diuerſiſsimum eſt, & præclariſsimum intelligere, neque mutari: ad deterius enim mutatio, & quidam præterea motus hoc ipſum eſſet.

Cùm in fine ſuperiorum verborum dubitaſſet, an bona ſola, an quæuis ſine vllo diſcrimine mens diuina intelligeret, & veluti reſpondẽs interrogationis modo adieciſſet, an etiã aliqua ab ipſa intelligi abſurdum eſſet, quæſtioni propoſitæ & omnino omnibus, quæ de eius intellectione allatæ ſunt, ſatisfacturus, hoc imprimis docet, quod antea etiam explicatum fuit, nempe mentem hanc diuinam id, quod præſtantiſſimum eſt & diuiniſsimum intelligere: nec ab eius intelligentia recedere, quippe quòd ad id, quod peius eſt, intelligẽdum neceſſariò ſe converteret: eiúſque intellectionis mutatio in deterius eſſet, ſiquidem præſtantiſsimum vnum eſt, eóque præſtantius nihil. Motus quidam pręterea in eiuſmodi intellectione eſſet, quæ duo tanquam abſurda, & quę de illa mente affirmari non debeant, aſſumit. Diuiniſsimum porrò & præclariſsimum ab ea mente intelligi, rationi conſonum eſt. quippe, quę diuiniſsima & pręclariſsima, omniúmque rerum

optima, ob eámque cauſam, ad id, quod diuiniſsimum & præclariſsimum eſt, intelligendũ magis, quàm cæteræ mentes, accommodata. Nec minus cum ratione coniunctum eſt, vt ab illius intellectione non recedat, vt Ariſtotelis rationes oſtendunt, quæ id ponũt, vnum eſſe, quod diuiniſsimum eſt: ideo ab eo receſſum eſſe non poſſe, niſi ad deterius, ídq; motũ habere coniunctum, qui in mente illa poni non debet, quæ omnis mutabilitatis prorſus eſt expers. Neque verò dignum eſſet, vt mentem illam diuiniſsimam ab vnius rei intelligentia ad aliam alterius moueri, multóque magis ab eius, quod diuiniſsimum eſt, ad deterius aliquod cenſeremus.

Ac primùm quidem ſi intelligentia non ſit, ſed potentia, continentem illum intelligendi actum laborioſum eſſe, rationi conſonum eſt.

Mentem illam diuiniſsimam id, quod diuiniſsimum eſt & præclariſsimum intelligere, & ab eius intelligentia non recedere, in proximis verbis traditum eſt. Ex eo rationẽ colligere videtur, qua corroboret id, quod paulò antè docuit: nempe, mentis ſubſtantiam intellectionem eſſe, non autem potentiam, quę illius intellectionis ſit author. Si enim mens illa id, quod diuiniſsimum eſt, perpetuò intelligit, eius intelligentia omni labore vacet, profectò neceſſe eſt. Violentum nanque id omne eſt, quod laborioſum eſt: nullúmque, quod vim patiatur, perpetuò poteſt durare, vímque illam omni tempore perpeti. laboris igitur mentis eius intelligentia expers cùm ſit, eam ipſam eiuſdem mentis ſubſtantiam eſſe Ariſtoteles concludit. Quam conſequutionem Alexander hunc in modum monſtrat: Quemadmodum (inquit) homini hominẽ eſſe laborioſum non eſt, propterea quòd eius ſubſtantia in eo, quòd homo ſit, poſita eſt, cõtinenter autem ingredi munus homini eſt laborioſum, quia ſubſtãtia eius in ambulando non conſiſtit, ita & mentis diuinæ intelligentia nullius laboris particeps erit, ſi ipſius mentis ſubſtantia fuerit, quæ certè aduentitia ſi eſſet, laborem coniunctum habe-

ret. D. autem Thomas hanc conſequutionem eò monſtrauit, quòd ſi Dei intelligentia ſubſtantia eius non fuerit, ſed à potentia aliqua & facultate pendeat, cùm facultas omnis res contrarias æquè capiat, poteſtatémque agendi nihil habeat, quod idem aliquando non agere poſsit, efficiatur, vt mens illa ab intelligendi munere ceſſare interdum queat. Quocirca ſi intelligentiam continuare voluerit, continuationem eam extrinſecus capiat, neceſſarium eſſe. Itaque non vi ſua, ſed aliena cõtinẽter intelligere, quod abſq; labore eſſe non poſsit: quandoquidem externum omne & aduẽtitium, laborioſum eſſe conſueuit. Sed dubitatio exiſtit, cur cùm intellectus noſtri ſubſtantia in eo, quòd ſit intellectus, intelligátque, ſita eſſe videatur, eidem tamen continenter intelligere laborioſum eſt, quippe, qui in rei alicuius contemplatione diutius eſſe non poteſt. An verò falſum eſt, intellectus noſtri ſubſtantiam in eo vt intelligat poſitam eſſe, quin potius ſuapte natura potentia eſt, quæ niſi certis temporibus in actum educi non poteſt: nec ea quidem per ſe, ſed ab iis, quæ per ſenſus accepta ad ipſum ducuntur. Nihil igitur mirum, ſi laborioſam intellectionem experiatur, pręſertim cum materiâ & inſtrumentis corporis, videlicet phantaſmatibus, quæ in corpore inſunt, vtatur. Sunt verò & aliæ contra Ariſtotelis rationem dubitationes, quæ ab interpretibus adduci conſueuerunt. Vna de animis noſtris, quæ à corpore ſolutæ continuata intellectione ſine vllo labore fruuntur, quarum tamen intellectio ab earum ſubſtãtia diuerſa eſt. Altera de cælo, quòd perenniter contorquetur, & illud quidem abſque omni labore, cuius tamen motionem illius ſubſtantiam eſſe nemo dixerit. Illud etiam afferunt, quòd defatigatio quæuis ex materiæ contagione oriri videatur, cùm ſcilicet animalis vires nimia corporis aut animi cõtentione remolleſcunt. Quamobrem cùm mens illa omnis materiæ expers ſit, nihil cogere vt defatigetur, quanquam eius intellectio ſua ipſius non ſit ſubſtantia. his argumentis, & ſecundo præſertim, Thomas ductus, Ariſtotelis rationem non neceſſariam, ſed probabilem eſſe aſſeruit, laborem in actionis continuatione, tum ſo-

lùm accidere inquiens, cùm vel actio illa, vel quod actionem perpetuat, agẽtis naturæ aduerſatur. Alij neceſsitatem in ratione eſſe defendentes, laborem neceſſariò conſecuturum, ſi intellectio mentis, ſubſtantia eius non ſit, eò putauerũt, quòd non omnino ſimul & vno intuitu mens illa, ſed ſingula ſeparatim intueri poterit, aliúdque ex alio comprehendet. Quæ intelligendi ratio cum his ſolùm cõuenire videatur, qui ſenſus adminiculum in intelligendo adhibent, illéque perfacilè debilitari & frangi conſueuerit, mentem eam, quæ eo modo intelliget, defatigatum iri inquiunt: ſed ex his omnibus dubitationes allatæ haudquaque diluuntur. Integrum enim adhuc manet, eſſe aliqua in perpetua actione, & ea quidem ſine labore, quæ illorum ſubſtantia non eſt, nempe, animas corpore ſolutas, & cælum. Quamobrem dicendũ, animas corpore ſolutas in intelligendi munere verſari, Ariſtoteli non compertum fuiſſe, quinimo docet, eorum, quæ in vita didicimus aut intelleximus, nihil poſt mortem intellectum reminiſci, quia phantaſia intereat, ſine qua nihil intelligit. Illud verò potius vrget, quod in tertio de Anima traditur, intellectum noſtrum perpetuò intelligere, & non aliquando quidem intelligere, cùm tamẽ noſtri intellectus intellectionem, eius ſubſtantiam eſſe negauerimus. Quo fieri videtur, vt aut perpetuum aliquid laborioſum ſit, aut ſi hoc eſſe non poteſt, intelligentia hominis ſine labore perpetua ſit, eadémque tamen ab intellectus differat ſubſtantia. niſi conceſſerimus intellectus eius noſtri, qui perpetuò intelligere ponitur, intellectionem, ipſius intellectus ſubſtantiam eſſe. quod ipſe quoque Ariſtoteles eo in loco tradere videtur, cùm ait eam ſubſtantiâ actum eſſe. Eſt verò intellectus is, qui ſimpliciter omnium hominum eſt intellectus: qui ab intelligentia nunquam vacat. Quatenus autem in ſingulis hominibus ineſt, ea parte potentia eſt, & certo tempore intelligere incipit, nec in intellectione ſemper perſeuerat. Qui verò intellectionem intellectus noſtri, eius ſubſtantiam eſſe negaret, fatigari quidem illum in intelligendo, eundémque perpetuò intelligere cõcederet. Sed vt ſingulorum hominum merito non per-

petuò intelligit, ita & eorum habita ratione fatigari. Simpliciter autem & perpetuò intelligere, eiúſque intellectionem laborioſam non eſſe. Quod ita non habet in mente diuina, quæ vna cùm ſit, perpetuò & ſine labore contemplatur. Alexander nullam, ex eo tertij de Anima loco difficultatem ſentit, quippe qui de Deo ſeu de mente diuina eum expoſuit: ſed contra Ariſtotelis ſententiam. Ad eam dubitationem, quæ de cæli motu eſt, dici poteſt, intellectionis & motionis cæli diuerſam eſſe rationem, quòd hæc, actio ſit extrà proficiſcẽs, illa in eo maneat, quod agit. Poterit igitur motio ſine labore perpetuari, quandoquidẽ vis infinita illam facit, ídque, quod mouetur, perpetuò moueri naturâ ſuâ eſt comparatum: & quia in illud recipitur, fieri non poteſt, vt eius quod mouet, ſubſtantia ſit: ſed neque ipſius, quod mouetur, ſiquidem ab alio proficiſcitur. Intellectio autem in intellectu manet, quę, ſi ipſius intellectus ſubſtantia non ſit, aduentitium quiddam erit, ipſáque intellectus ſubſtantia, potentia quædam, quæ intelligere, & non intelligere poterit, prout ab eo, quod intelligendum eſt, mouetur: cuius generis potẽtiæ laborem in agendo habent coniunctum. Dixerit etiam aliquis: mentem illam diuinam, cùm intelligendo & appetendo cælum moueat, actionem illam, quodammodo eius ſubſtantiam eſſe. Quamobrem antea cùm perpetuam aliquam exiſtere ſubſtantiam primam Ariſtoteles doceret, ſempiternum motum eſſe non poſſe tradidit, niſi aliquod eſſet principium, cuius ſubſtantia actus eſſet. Paulò pòſt etiam, cùm demonſtraret aliquod mouens eſſe omnino immobile, cõcluſit eſſe aliquid, quod cùm mouet, non mouetur, quod ſubſtantia ſit & actus, quaſi actum ea parte eſſe primam ſubſtantiam vellet, qua motionem efficit. Quod verò de fatigationis naturâ obiiciebatur, ita dilui poteſt, vt dicamus, mentem diuinam omnis materiæ expertem nunc quidem eſſe, nec vllo modo ab ea pendere: quæ tamen eius ope indigeret, ſi eius intelligentia ſua ipſius ſubſtantia non eſſet. Nulla enim forma, cuius actio à ſubſtantia ſua diuerſa ſit, videtur eſſe, quæ vel in materia non inſit, vel ab ea in agendo aliquo modo non pendeat.

Quòd ſi mens diuina materiæ adminiculo vteretur, continuare intelligentiam ſine labore non magis poſſet, quàm nunc humanus intellectus queat. Ac hæc quidem de his dubitationibus ſatis ſint dicta.

Illud deinde perſpicuum eſt, aliquid dignius præſtabiliúſque fore, quàm mens ſit, id videlicet, quod intelligitur. Quinetiam intelligere, & eius quoque, quod peſsimum eſt, intelligentia in intelligente inerit. Quare cùm id ſit fugiẽdum (quandoquidem aliqua ſatius ſit non cernere) intellectionem id, quod optimũ eſt, non eſſe cõſequetur.

Mentem diuinam potentiam non eſſe, nec eius intellectionis cauſam authorémque potentiam dici, ſed ipſammet intellectionem eſſe, duabus aliis rationibus videtur confirmare. Quanquam & id demonſtrent, alienam rem nullam ab eiuſmodi mente intelligi. Prima igitur ratio eſt, quòd niſi eius ſubſtantia intellectio ſit, ſed potentia, omnium rerum digniſsimam præſtabiliſsimámque ipſam mentem non fore. Sed dignius aliquid & præſtabilius futurum, id videlicet, quod ab ea intelligetur. Quæ ratio ex eo vim ſumit, quòd ſi mentis ſubſtãtia, potẽtia ſit, non intellectio, ab alio in actum ducatur oporteat: quemadmodum mens noſtra, quia naturâ ſubſtantiáque ſuâ potentia eſt, à rebus intellectilibus in actum educitur. A ſe verò in actum duci, haudquaquam poteſt: quandoquidem nihil ſe mouet, nulláque potentia in actum ſe ducit, ſed ab alio, quod actu ſit, ducatur neceſſe eſt. Cùm ergo quod actu eſt, quatenus actu eſt, eo, quod potentia eſt, prçſtantius digniúſque ſit, profectò efficitur, vt ſi mentis ſubſtantia potentia ſit, aliquid eſſe concedamus, quod dignitate illi anteeat: illud videlicet, quod ſub eius cadens intelligentiam, eam ad actũ trahit. Altera ratio ad aliud ducit incommodum, quod eſt, mentem illam diuiniſsimam, peſsima quæque intellecturam, eiúſque intellectionem optimam non fore: quandoquidem peſsimorũ intellectio non in opti-

morum ſolùm genere poni non poteſt, ſed neque in bonorum, quippe cùm nonnulla eius ſint generis, quæ non cernere & intelligere ſatius ſit, quàm cernere & intelligere. Cuiuſmodi diceretur concubandi, aut etiam furandi, ſeu occidendi optima ratio. hoc autem, quod dictum eſt, incōmodum eo conſequitur, quod cum potentia eſſe mens illa ponitur, natura ei tribuitur, quæ rerum omnium intellectilium ſit capax, qualem hominum mentem, in tertio de Anima ſtatutum eſt. Nec verò aliquid erit, quod impediat, ſi bona intelligere & contemplari poſsit, quin in malorum quoque & peſsimorum intellectione interdum verſetur, præſertim cùm potentia ad vtrunque contrarium pateat, quanquam ad vnum per ſe, ad reliquum ex accidenti. Iam verò ſi peſsima quæque intelligat, eius intellectionē optimam non eſſe conſequitur: ſiquidem intellectio optima eſt, quę eſt optimorum. Quamobrem cùm eius intellectio ſit optima, illud fugiendum eſt, vt quæque ſine vllo delectu etiam peſsima ab illa intelligi concedamus. Quod ad verba attinet, cùm in principio ſecundæ rationis particula, γὰρ legeretur, hunc in modum καὶ γὰρ τὸ νοεῖν, &c. hoc eſt, etenim intelligere, quæ lectio indicabat non rationē nouam eſſe, ſed eius, quod dictum erat, cauſæ redditionem, Alexander commonefacit, particulam, ἔτι, deſiderari, vt diceretur. Præterea intelligere, &c. Ego verò putaui illud γὰρ, incuria ſcriptorum incertum fuiſſe: & particulam, καὶ, quæ legitur ſufficere, vt rationem nouam afferri intelligamus.

Se ipſa igitur intelligit, ſiquidem optimum eſt, atque intellectio intellectionis intellectio eſt.

Quoniam mens illa diuiniſsima, potentia non eſt, nec alienum quicquam intelligit, ne peſsima quæque intelligere concedatur, eadémque tamen in intelligendi munere perpetuò verſatur, idque, quod diuiniſsimum eſt & præſtantiſsimum, intelligentiâ ſua apprehendit, ipſum ſe intelligere, ſiquidem omnium optimum eſt Ariſtoteles concludit: itaque intellectionem intellectionis eſſe intellectionē, quippe cùm

ipſa ſua ipſius ſit intellectio, idémque eſt, quod intelligit, quod intelligere & intellectio. Atque hæc quidem eſt de mentis diuinæ intellectione Ariſtotelis ſententia, quæ magnas (niſi quiſpiam diligenter animaduertat) contradictiones patitur. Inſipientiſsimũ enim Deum eſſe, & ipſo etiam homine longè inſipientiorẽ ſtatuere videtur. quo quid nefarium magis, aut etiam ipſi Ariſtoteli aduerſum dici poſsit non video. Eodem nanque argumento, in primo huius operis, tum etiam in primo de Anima, contra Empedoclem vſus eſt. Nam cùm ex igne, aere, aqua, terra, cõcordia & diſcordia omnia, præter Deum, qui diſcordiæ expers fuerit, effecta eſſe Empedocles tradidiſſet, animũ præterea humanum ex illis ſex principiis confectum eſſe, vt res omnes contemplari poſſet, voluiſſet: quippe qui in ea erat ſentẽtia, vt ſimile ſimili agnoſceretur, his Ariſtoteles obiecit, ex eis conſequi inquiẽs, Deum homine inſipientiorem fore, vt qui diſcordiam, ex qua non conſtaret, aſſequi intelligentiâ non poſſet, quam tamen homo, qui intra ſe illam cohiberet, cogitatione, & animo apprehenderet. Hoc igitur incommodum, quod Empedocli Ariſtoteles obiecit, ipſi quoque, ſi ſe ipſa tantùm mens diuina intelligat, obiicietur. Inſipientior enim homine mens illa erit, ſiquidem homo rerum omnium intelligentiâ informari poteſt. Eſt & mundi adminiſtratio, rerúmque humanarum cura, de quibus in Moralibus ad Nichomachum, & alibi ita diſſerit, & loquitur, vt omnia à Deo regi & adminiſtrari, rebúſq; humanis prouideri apertè ſtatuere videatur. Quæ profectò vera eſſe non poſſunt, ſi rerum aliarũ cognitione deſtitutus, in ſui ſolum intelligẽtia conſiſtat. Illud etiam huic loco aduerſari, rerúmque omnium cognitionem, & illam quidem præſtantiſsimam Deo tribuere videtur, quod in primo huius operis legitur: Sapientiam, quæ eſt rerum omnium & cauſarum cognitio & ſcientia, quandoquidem ſola libera ſit, hominis, qui multis conditionibus ſeruus eſt, poſſeſsionem non eſſe: ſed Simonidis ſententiâ Dei ſolius, qui omni libertate donatus eſt. hæc & eiuſmodi alia diuinam mentẽ non ſe ſolùm intelligere, ſed alias etiam res omnes ipſius Ariſtotelis

decreto declarãt. Quid igitur eſt, quod hoc in loco ſtatutum eſt, mentem illam alienum nihil intelligere, quod etiam peſſima quæque contemplaretur, ſe autẽ ſolum, quia optima eſt, contemplari. In hac locorum pugnantium conciliatione, atque Ariſtotelis veræ ſentẽtiæ explicatione Peripatetici multi ſe torſerunt, multáque ſcriptis mandarunt, quæ à me alio in loco ſeparatim expendentur. Nunc breuiter dicam, hanc, quæ hoc in loco ſcribitur, Ariſtotelis eſſe ſententiam, exiſtimandum eſſe, ſiquidem quæſtionis de Dei intelligentia proprius locus eſt. Ad hunc itaque cætera omnia accommodare enitendum eſt, quod aliter fieri videtur non poſſe, niſi animo concipiamus, mentem illam diuinam ſe intelligẽdo cætera omnia intelligere, quippe quæ virtute in illa cõtineantur, & ab ea vt omniũ authore & cauſa proficiſcantur. vtrum verò vniuerſim ſolum, an etiam ſingulatim omnia apprehendat, magna quæſtio eſt. Quæ de mundi adminiſtratione & hominum cura in moralibus ſcribuntur, ſingulorum per ſe intellectionẽ ei tribuunt: ſed ita fortaſſe ei, qui hominum mores inſtituebat, erat ſcribendum. Quicquid autem Ariſtoteles ſenſerit, nos ſingulorũ intellectionem, curam & prouidentiam credimus.

Atqui ſcientia, ſenſus, opinio, ac ratio alterius cuiuſpiam eſſe ſemper videntur, ſui autem obiter. Præterea ſi aliud eſt intelligere, aliud intelligi, ex vtro eorum, quòd bene ſe habeat, ei contingit? neq; enim intellectionis & eius, quod intelligitur, ratio eadem eſt.

Dubitationibus de præſtantiſsima Dei actione, hoc eſt, intellectione, per quam omniũ optimum eſt, explicatis, alias quaſdam ex his, quæ dicta ſunt, exorientes affert, quarũ prior ob id, quod dictum eſt, intellectionis intellectionẽ eſſe, exiſtit. Illud enim falſum videtur, quandoquidem ſcientia, ſenſus, opinio, & ratio non in ſe ipſis, ſed in alio quopiam ſemper

verſentur. quod ſi in ſe, illud eſt obiter, & quaſi ex accidenti, &, vt ipſe ait, ἐν παρέργῳ, quod in omnibus inducendo facile eſt intelligere. Scientia rem aliquã propoſitam habet, quam cõtemplatur, alicuiúſque ſemper ſcientia eſt, non ſui, niſi obiter, quatenus ſe, aut contemplatricem eſſe, aut actiuam, aut ſimile quiddam declarat, vt cùm medicina docet ſe rerum valentium ægrotantiúmque eſſe ſcientiam. Senſus non ſui eſt, ſed rerum ſenſilium, ſui autem ex accidenti, quatenus res ſenſiles apprehendendo, ſe quodammodo ſentit, eadémque ratio eſt opinionis & rationis. quod ſi in his ita res habet, intellectionem quoque alterius eſſe non ſui conſequitur. Altera dubitatio ex eo occaſionem habet, quòd Deum optimum eſſe, & bene ſe habere, quia in intellectione perpetuò verſetur, eúmque ſeipſum intelligere dictum eſt, ita vt & intelligens ſit, & id, quod intelligitur: quæritur ergo vtrum quòd bene ſe habeat, ex eo quod intelligat, proficiſcatur, an ex eo quod intelligatur: ſiquidem eius quod eſt intelligi & intelligere rationes diuerſæ ſunt.

An in quibuſdam ſcientia, res eſt: in effectricibus quidem eſſentia ſine materia & ratio eſſentiæ, in contemplatricibus verò ratio & intellectio res ipſa eſt. Cùm ergo intellectus, & quod intelligitur diuerſa non ſunt, ea profectò quæ materia vacant, eadem erunt, & eius, quod intelligentia apprehenditur, vna intellectio.

Propoſitarum dubitationum priori reſpondet negans ſcientias & artes, alterius rei ſemper eſſe. Nã cùm duo ſcientiarum ſint genera, vnum in contemplatione ſola poſitum, alterum in agendo, ſciẽtiã in vtroque genere idem eſſe, quod res, quæ apprehenditur, cuius eſt ipſa ſcientia. In contemplatricibus enim rei definitionem & intellectionem ipſammet rem eſſe, atque idem in effectricibus vſuuenire: præſertim

cùm id, quod apprehenditur,materia omnia vacet: ſiquidem in his, quæ materia carent,id, quod intelligit, & quod intelligitur,eadem ſunt: quæ omnia ita ſe habēt, & cum his conſentientia, quæ in tertio de Anima & alibi ſunt prodita.Perſpicuum autem eſt, ſcientiam effectricem idem eſſe,quod res in qua verſatur, vt artem extruendæ domus idem quod domus, non quidem ea, quæ è lapidibus conſtat, ſed quæ animo architecti inſudet: ad quod fortaſſe reſpiciens dixit, in quibuſdam,cùm ſciētiam non idem eſſe, quod res extra animum videret. Quod verò de contemplatricibus ſcientiis dicitur, in tertio de Anima explicatum eſt, vbi actu ſcientiam ſeu contemplationem idem eſſe, quod res quæ intelligitur & ſcitur, bis térue traditum eſt.Cùm igitur in vtroque ſcientiarum genere res ita habeat,nihil iam videtur obſtare,quominus in his,quæ materiâ vacant, intellectus, intellectio, & quod intelligitur, eadem ſint. Ita conſequitur, intellectionem ſuiipſius eſſe poſſe.

Sed dubitatio præterea remanet, ſi concretum eſt,quod intelligitur, quippe cùm in totius partibus mutaretur, an indiuiduum omne eſt, quod materiam non habet, quemadmodum humanus, aut rerum concretarum intellectus aliquo in tempore ſe habet: non enim in hoc aut illo, ſed in toto quodam,optimo, quod aliud quiddam eſt,fruitur. Ita verò ipſa ſuiipſius intellectio in omni ęuo afficitur.

Videtur dubitatio hæc ex eo, quod traditum eſt, id,quod intelligit, quod intelligitur, & intellectionem, vnum idémque eſſe,exoriri: quandam enim compoſitionem in eo quod intelligitur, ſi hoc ita habeat, ineſſe, exiſtimare fortaſſe aliquis poſsit. hoc verò ait dubitationem habere, quandoquidem ſi compoſitum eſſe id, quod intelligit, in partibus totius

compoſiti intelligendis mutaretur, quippe quod non vno temporis puncto eas intelliget, ſed diuerſis. dubitationem autem ſoluit inquiens illud omne, quod materiam non habet, indiuiduum eſſe, quaſi diceret, mentem illam diuinam, quæ intelligitur, etſi idem ſit, quod res, quæ intelligit, & intellectio, concretam non eſſe, ſed indiuiduam & partibus vacantem, ſiquidem materiæ eſt expers. Eam igitur ſe intelligere, non vt concretũ quidpiam, cuius partem vnam vno in tempore, aliam in alio intelligat, ſed vt ſimplex, & omnino indiuiduum in eodem temporis puncto. Nam & humanum intellectum breui illo tempore, quo optimo ſuo, hoc eſt, fœlicitate, fruitur, mentem diuinam cõtemplando, non in vno temporis puncto hanc Dei partem intelligere, in alio aliam, ſed totum in vno & eodem. quod ergo aliquo tempore homini euenit, id diuinæ illi menti in omni æuo accidere. Ita dubitationi Ariſtoteles ſatisfacit. Intellectum autem hominis cõpoſitorum intellectum nominat, quòd eius proprium ſit compoſita apprehendere, vt in tertio de Anima proditum eſt. Intellectus à materia prorſus abiuncti ſimpliciſsima intellectione fruuntur, & quę ſimpliciſsima ſunt, duntaxat apprehendunt. temporis etiam punctum, totum nuncupat, non quòd partibus cõſtet, ſed quia ſimul eſt, quod totius eſt proprium. Porrò de humani intellectus optimo ſtatu ſuperius aliqua dicta ſunt, illúdque ipſum, quod hìc attingitur, traditum, Deum ſempiternis temporibus eo ſtatu gaudere, quo homo breui tempore fruitur. Auerrois in horum verborum expoſitione falſa deceptus tranſlatione, quemadmodum & alibi ſæpiſsimè, in multis à veritate aberrauit, multáque attulit ad rem non pertinentia.

Illud verò etiam conſiderandum eſt, vtra in re vniuerſi bonum & optimum conſiſtat, an in ſeparato aliquo bono, quod ipſum per ſe ſit, an in ordine, an in vtroque, quemadmodum exercitus, in ordine enim illud poſitum eſt, & in imperatore

atque in hoc magis;quandoquidem non ab ordine imperator pendet, ſed ille ab imperatore.

De actione Dei præſtantiſsima, qua beatus eſt, & apud ſe manet, Ariſtoteles diſſeruit,dubitationeſque in ea exorientes diſſoluit: nunc, qua ratione mundum adminiſtret & regat, inſtituit docere , quod aliorum interpretum nemo videtur animaduertiſſe,quin potiùs locum hunc pulcherrimum contaminaſſe verius, quàm expoſuiſſe . Ita verò à Deo vniuerſum adminiſtrari Ariſtoteles docet, vt quodcunque bonum in eo eſſe conſpicitur (quod quidem maximum eſt) id ipſi Deo referri acceptum velit. Ad quod explicandum quæſtionem hanc adducit,vtrũ cauſſa,propter quam vniuerſum bono & optimo fruitur , diuerſa quædam ſubſtantia ſit per ſe conſiſtens, quemadmodum Deus,an ordo potius,quo diſpoſitum eſt & digeſtum:quam quæſtionem mox diluit,ab vtroque affirmans id proficiſci, præcipuè tamen à cauſa ſeparata, qui ordinem illum in vniuerſo cõſtituit , non ſecus atque exercitus bonum, in ordiue quidem & imperatore cõſiſtit,ſed longè præſtantius in imperatore, à quo omnis ordo , qui in exercitu eſt,proficiſcitur. Siquidem ille omnia diſponit,collocat,digerit, quo ſine nullus eſſet ordo, imò verò totius exercitus magna perturbatio, quæ perniciem ei afferret . De hac verò vniuerſi bonitate, quæ à Deo pendet, & quomodo ordinis vniuerſi, qui in eo conſpicitur , cauſa ſit , libellus de mundo ad Alexandrum legatur, in quo omnia pulcherrimè & pietati conſentaneè explicantur. Et, vt cætera, quæ de hac re dici poſſunt, prætermittamus , quod in naui gubernator eſt, in curru auriga,in choro præcentor, in ciuitate lex,& (vt hìc dicitur) in exercitu imperator , hoc idem in mundo eſt Deus, niſi quòd illis ipſis principatus laborioſus eſt , perturbatus & anxius.Deus autem expers omnis mœſtitię,laboris, & fatigationis.

Omnia verò inter ſe ordinata ſunt(quanuis non eodem modo) aquatilia, volucres, & plantæ , ne-

que ita ſe habent, vt vni generi cum altero nulla ſit conuenientia. aliqua enim eſt, quippe quæ ad vnum omnia ſunt ordinata. At quemadmodum in domo hominibus liberis, quibuſuis occupari non licet, ſed omnia aut pleraque ordine ſunt diſpoſita, mancipia autem & bruta, pauca quidem eorum, quæ ad communem pertinent vtilitatem, multa verò temerè faciunt. Cuiúſque enim ipſorum natura principium eſt eiuſmodi. Dico autem veluti inter ſe omnia neceſſariò eſſe diſcreta, alia verò ita habent, vt ad vniuerſi conſtitutionem, omnia illis participent.

Quoniam tradidit ipſius vniuerſi optimum, hoc eſt, perfectionem maximã in ordine, quo continetur, partim conſiſtere, & illum quidem à prima cauſa proficiſci de hoc ordine, in his verbis agit, triáque in ſumma docet: vnum, omnia ordinem habere: alterum, omnium ordinem eundem non eſſe: tertium, ad vnum quidpiam omnia referri, quod eſt vniuerſi perfecta conſtitutio. Quæ omnia ſimilitudine domus pulcherrima illuſtrat, in qua domo, ſi rectè ſit cõſtituta, pulcherrimus quidem omnium rerũ ordo cernitur, non tamen omnibus eadem agere licet. ſed varia ſunt munera, cuique pro ingenio, & natura iniuncta, cùm videamus liberos ad virtutem & diſciplinam educari, actionéſque eas exercere, quæ ad decus & emolumentum ſocietatis plurimum conducant. Seruos autem & belluas aliis quibuſdam ſordidis operibus abſque vllo delectu addici, quæ interdum domui non multum afferunt emolumenti. haud igitur aliter in vniuerſo (inquit) euenire, in quo quædam ad ipſius naturam maximè faciunt, alia minus: quædam pulcherrimo ordine, alia caſu quodam & ratione fortuita diſpoſita cernimus. Sed vt in domo quæcunque ſint, & quomodocunque diſpoſita, ad

domus conſeruationem & conſtitutionem omnia pertinēt, ita in vniuerſo, quāuis naturæ ſint diſsimiles varięque diſtinctæ, quandam tamen inter ſe conuenientiam habere, nonnulláque cum omnibus eſſe communia, quæ omnia ad ordinatam vniuerſi conſtitutionem pertinent. Ac omnia quidem perſpicua videntur, præter id, quod ait. Cuiuſque enim ipſorum natura principiū eſt huiuſmodi, & cætera, quæ ſequuntur, vſque ad finem. Sed verba eiuſmodi ad explicandum cur ita in vniuerſo, vt in domo res habeat, poſita videntur, eorúmque talis (vt mihi quidem videtur) eſt ſenſus. Natura rerum omnium, quæ ſunt in vniuerſo, principium & cauſa eſt, cur res ipſæ & inter ſe diſtinctæ ſint, & diſtinctis muneribus fungantur, & ad vnum quoque referuntur, eodémque participent, quod quidē eſt vniuerſi ipſius cōſtitutio & ordo. Atque hæc quidem ſunt, quæ de Deo & cęteris mentibus diuinis Ariſtoteles diſſeruit. Cætera, quæ ſequuntur, aliorum philoſophorum de principiis ſubſtantiæ, quæ huius duodecimi initio inueſtigare inſtituerat, opiniones continent.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 21. lin. 25. de prima & pag. 29. li. 3. iudicabat. pag. 31. li. 20. dextrā pag. 36. li. 24. nunc verò pag. 37. li. 2. quod in Cos. pag. 38. li. 26. ſemper fuerint pag. 45. li. 5. tu, qui in orbem fit pag. 48. li. 10. in verbis hiſce pag. 48. li. 21. mouet, mouere & moueri pag. 48. li. 23. cùm vſque pag. 48. li. vlt. & illa pag. 51. li. vlt. ratione pag. 52. li. 28. ſubſtantia occupat. pag. 55. li. 31. deligendum. pag. 57. li. 29. mouere pag. 60. li. 22. altero, hoc eſt, mente. pag. 70. li. 27. vel in infantibus. pag. 77. li. penult. aliquando nouimus pag. 95. li. 2. Nam cum pag. 95. li. 29. & re, quam pag. 104. li. 1. ſufficiēter poſſent. pag. 104. li. 8. altero pag. 110. li. 18. nullas pag. 118. li. 1. hinc licet. pag. 125. li. 16. diuiniſſimū pag. 135. li. 1. omni vacet eadem li. 8. inſidet ead. vlt. li. compoſitum eſt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

1969

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA